This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

240 e
230 (9)

600033082M

240 e. 230 (9)

= S. Hist. Form. F 6a

S. Hist. 7G 30.9



EINHARTI

VITA CAROLI MAGNI

EDIDIT

PH. JAFFÉ.

EDITIO ALTERA CURANTE

W. WATTENBACH.

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS.

MDCCCLXXVI.

240 . e . 230 . (9.)

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRAEFATIO.

Ex aula Caroli Magni, ubi fuit quasi collegium cum alienigenarum tum domesticorum virorum sapientia doctrinaque florentium, cultoribus historiarum maxime occurrit Einhartus. Atque si probe sentimus, repentinam tum honestissimarum artium copiam ipso Carolo impellente se extulisse, Germanico ingenio perpetuae laudi est, quod, idoneam vitae imperatoriae imaginem scriptis mandare, ex tota aulicorum doctorum varietate gratus piusque Germanus sui muneris esse duxit.

Einhartus enim, egregie nobilium[1] *parentum et Einharti quidem atque Engilfritae ut videtur filius*[2]*, in Franciae orientalis pago Moenum inferiorem amplectente, qui Moingeuui dicebatur, circiter anno 770 natus est. Puerum ad monasterium* c. 770
haud longe positum Fuldense in disciplinam miserunt[3]*, cum clarissimum hunc locum aut etiam Sturmus († 779) regeret aut iam Baugulfus abbas (779—802) regere coepisset. Ibi sic maturescebat generosa mens Einharti, ut ad veterum scriptorum*

1. V. Walafridi prologus infra: „ob nobilitatis quod in eo munus erat insigne"; et tituli sepulcralis a Rhabano scripti (infra) versus hic: „Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto". 2. Einharti patri quoque nomen Einharto fuisse, suspicari licet ex tituli sepulcralis a Rhabano scripti versu hoc: „Einhardus nomen cui genitor dederat". Eoque verisimilius est, parentes eius fuisse Einhartum et Engilfritam, quorum traditio, coenobio Fuldensi facta ab ipsoque Einharto nostro litteris mandata, habetur infra p. 4 n. 2. 3. V. Walafridi prologus: „in Fuldensi coenobio sub pedagogio sancti Bonifacii martiris prima puerilis nutriture rudimenta suscepit".

litteras bene perceptas opinione maiorem miraculorum fidem adiungeret, utque et civilibus et ecclesiasticis rebus gerendis accommodatus, etsi publica negotia pro tempore obierit, tamen potiorem felicitatem in rationibus sacerdotalibus et monachicis sitam esse censeret.

Educabatur autem Fuldae, quibus temporibus homines incredibili quadam aemulatione monasteria fovere omnique bonorum genere, velut agris silvis aedificiis mancipiis pecudibus, locupletare non cessabant; quarum donationum infinitam multitudinem non sine admiratione ex iis potissimum litteris cognoscimus, quae in „codicibus traditionum" vel „codicibus diplomaticis" reperiri solent. Hoc e genere exstat Fuldensis coenobii liber[1]*, in quo nonnulla adolescentis Einharti vestigia animadvertuntur. Namque continet tabulas sex manu illius sub Baugulfo abbate conscriptas, ut earum clausulae fidem faciunt his verbis:* Ego Einhart scripsi. *Ex his unam, qua* Einhart et coniux eius Engilfrit *munus quoddam monasterio detulerunt, non mediocriter notatione dignam ducimus, propterea quod est maxime verisimile, largitionen parentum filii manu litteris consignatam esse*[2]*. Aliis tabulis duabus ad temporis, quo Fuldae didicit Einhartus, cognitionem accuratissima materia*

1. Codex diplomaticus Fuldensis ed. Dronke, Cassel 1850. 2. Haec tabula (ap. Dronke Cod. dipl. Fuld. p. 103 n. 185) sic scripta est: „In Christi nomine. Ego Einhart et coniux mea Engilfrit donamus atque tradimus ad Sanctum Bonifatium, ubi vir venerabilis Paugolf abbas cum turba plurima monachorum monasterio preesse videtur, hoc est quod donamus, quicquid in Urithorpfe proprietatis habemus, exceptis vero haftunnis et uno mancipio. Quicquid aliud est quod habeo, hoc trado ea ratione, ut, dum ego advivo, habeam illud; similiter et coniux mea, si illa supervixerit, utatur illico; post obitum vero nostrum amborum vos et successores vestri res memoratas ulterius perenniter possideatis stipulatione subnixa. Actum die VIII Idus Iunias. Ego Einhart scripsi". De eadem tabula cf. Dronke Traditiones et antiquitates Fuldenses p. 23: „Descriptiones eorum, qui de Salegewe et Weringowe proprietates suas Sancto Bonifacio in Fuldensi monasterio contulerunt: . . . 14. Einhart et uxor eius Engilfrit tradiderunt Sancto Bonifacio bona sua in Urdorf cum terris, agris, pratis, silvis, domibus et familiis". Cf. etiam supra p. 3 n. 2.

affertur; nam earum altera est die 19 Aprilis 788[1] *facta, altera* 788
die 12 Septembris 791[2]. *Et quidem hae litterae iam praecipitante* 791
eius in coenobio mansione videntur scriptae esse[3].

Iam dudum enim Carolus rex, qui non minus litterarum placida tractatione quam fero bellorum tumultu delectabatur, magnis ingeniis insignique eruditione homines ad se trahere coeperat. Quo factum est, ut Baugulfus abbas Einhartum, iuvenem praestantem et nobilitate et sollertia, ex monasterii umbraculis traduceret[4] *ad splendidum regis palatium, in locum lubricum* 791—796
et periculosum; ubi ex militibus fortunatis et doctrinae principibus et feminis formosis conflata erat societas volubilis, ieiunandi[5] *et amandi*[6] *aeque perita, ad risum propensa et ad invidiam*[7].

Sed Einhartus in novo curriculo suo prospere versatus est. Etenim non modo eximiam Caroli filiorumque eius gratiam amicitiamque sibi collegit[8], *sed talis etiam fiducia*[9] *atque rerum bene*

1. Traditio Mattonis et Megingozi ap. Dronke Cod. dipl. p. 53 n. 87: „Actum in monasterio Fulda die 13 Kal. Maias, anno 20 regnante Karlo rege Francorum et Langobardorum et patricio Romanorum. Ego Einhart rogatus scripsi". 2. Traditio Hiltrihi ap. Dronke Cod. dipl. p. 60 n. 100: „Actum in monasterio Fulda pridie Iduum Septembrium, anno 23 regnante Karlo rege Francorum. Ego Einhart scripsi". Cf. Traditio Folcuuini ibid. p. 61 n. 102: „Actum in monasterio Fuldae, anno 23 regnante Karlo gloriosissimo rege Francorum. Ego Einhart scripsi". Traditio Gundheri ibid. p. 103 n. 183: „Actum in monasterio Fulda sub die 3 Kal. Martias. Ego Einhart scripsi". Traditio Hartgeri ibid. n. 184: „Actum in monasterio Fulda 6 Idus Martias. Ego Einhart scripsi". 3. Etenim iam anno 796 Einhartum scimus in Caroli aula fuisse. V. infra p. 8 Theodulfi versus. 4. V. Walafridi prologus infra: „Indeque . . . a Baugolfo abbate in palacium Karoli translatus est"; et spatio quidem annorum 791—796, v. supra n. 2 et 3. 5. Quam saepe Carolus ieiunia instituerit, notum est; cf. Epistolae Carolinae 6, 21, 28 Bibl. Vol. IV p. 349, 379, 392. 6. De intemperantia aulae Carolinae v. Paschasii Radberti vita Adalhardi cap. 33 (Mon. Germ. SS. II 527) et infra Vitae Caroli cap. 19. Ipsum imperatorem in purgatorio propter libidinem poenas accipientem vidit Wettinus in visione c. 8 ap. Mabillon Act. SS. ord. Ben. saec. IV P. I 267 sq. 7. V. Walafridi prologus infra. 8. V. Einharti praefatio: „perpetua cum ipso ac liberis eius amicitia". 9. V. Walafridi prologus: „ut — pene nullus haberetur, cui rex — plura familiaritatis secreta committeret".

gerendarum spes in eo collocabatur, ut, cum variis negotiis civi-
806 *libus implicaretur*[1], *praesertim anno 806, legatus Romam missus,*
imperatoris de regno dividendo testamentum a Leone III papa
813 *confirmatum reportaret*[2]. *Quin etiam anno 813 persuasisse Carolo*
fertur, ut Ludovicum filium imperii socium sibi adiungeret[3].

Fuit autem apud Carolum proprie gratiosus ob artificem manum; qua quidem fiebat, ut Beseleel[4] *appellaretur, nomine illius opificis, quem ut legimus in vetere testamento*[5] *„Dominus implevit spiritu Dei ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum“*[6]. *Quare Einhartus in „maiestatis regiae ministrorum“*

1. Translatio SS. Marcellini et Petri cap. 1: „cum adhuc in palatio positus ac negotiis secularibus occupatus . . . meditarer“. Qui Einhartus autem in libello captivorum Saxonum (Mon. Germ. LL. I 90) Fridamundum et Macrinum habuisse legitur, hunc eundem ac nostrum Einhartum fuisse non constat. 2. V. Annales Einharto adscripti (Mon. Germ. SS. I 193) 806: „De hac partitione et testamentum factum — et constitutiones pacis conservandae causa factae; atque haec omnia litteris mandata sunt et Leoni papae, ut his sua manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus pontifex lectis et adsensum praebuit et propria manu subscripsit.“ 3. V. Ermoldi Nigelli Carmin. L. II 31 sq., Mon. Germ. SS. II 479. 4. Sic vocabatur Einhartus et ab Alcuino (ep. 85, novae edit. 112, Bibl. VI p. 159, v. infra p. 7 n. 7) et a Walafrido, v. infra. 5. Exod. 31, 2 sq.; 35, 30 sq. 6. Ex quo abunde intelligitur, cuiusmodi artifex fuerit Einhartus qualiaque opera fecerit (de quibus v. p. 7 n. 6). Sunt autem, qui eum architectum fuisse arbitrentur. Sed nomen Beseleel eius rei argumentum non est, propterea quod ipse Beseleel non fuit architectus. Neque Einharti epistola 56 (Bibl. IV p. 477) rem testatur, in qua de „verbis et nominibus obscuris ex libris Vitruvi“ Fuldenses consuli vult scriptor. Nam licet ab ipso Einharto ista epistola esse videatur (non enim prorsus certa res est), eum, qui de obscuris quibusdam Vitruvii rebus doceri cupierit, architectum fuisse, quis pro concesso et probato sumat? Et cui Latine scienti videatur ideo architectus Einhartus fuisse, quod de sui coenobii ecclesia in ep. 46 (Bibl. IV p. 471) scripserit haec: „basilice beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quam ego nunc licet cum magna difficultate construere molior“? Quibus ex omnibus accipi potest, quam parum argumenti sit, Einhartum non architectum modo fuisse, sed etiam „pontem Moguntiacensem, palatia Ingelheimense et Aquense, basilicam Aquensem etsi non inchoasse, perfecisse tamen videri“ Pertzio (v. Mon. Germ. SS. II 427); cum praesertim

numerum ascitus[1], *impensis Caroli munifice alebatur*[2]. *Atque ipsa artificis officina Aquisgrani erat; ubi Ansigisum, abbatem Flaviacensem anno 807 factum, sub Einharto custodem operum regalium fuisse scimus*[3]; *ubi Brun monachus Fuldensis*[4] *iussu Ratgarii abbatis (802–817) in Einharti „variarum artium doctoris peritissimi" disciplina fuit*[5]; *undeque quam pretiosa ornamenta et basilicarum et palatiorum et hominum a Carolo cultorum provenerint*[6], *coniectura suspicari licebit.*

Nec minorem dignitatem auctoritatemque quam ars Einharto litterae attulerunt, quibus adeo excellebat, ut iam Alcuinus senex iuvenem „suum familiarem adiutorem" diceret[7]. *Tametsi docti illi aulae homines sibi temperare non poterant, quominus pu-*

ecclesiam Aquensem constet ab Odone magistro „expletam esse", v. adnotationem ad Vitae Caroli cap. 31 infra.

1. V. Walafridi prologus: „ut inter omnes maiestatis regie ministros pene nullus haberetur, cui" cet. 2. V. Einhardi praefatio: „domini et nutritoris mei Karoli", „nutrimentum in me impensum", „tot beneficiorum in me conlatorum, — et hominis in me optime meriti". Cf. etiam Einharti epitaphium a Rhabano scriptum infra: „Quem Carolus princeps propria nutrivit in aula". 3. Gesta abbatum Fontanellensium (Mon. Germ. SS. II 293): „Praeterea, dum praedictum Flaviacense coenobium — teneret (Ansigisus), etiam exactor operum regalium in Aquisgrani palatio regio sub Heinhardo abbate, viro undecunque doctissimo, a domino rege constitutus est. Quod nobilissime administravit". 4. de quo cf. Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 157; ed. 3, I p. 175. 5. Catalogus abbatum Fuldensium (ap. Dronke Traditiones et antiqu. Fuld. p. 162, Boehmer Font. III 162): „Tercius abbas Ratger — Hrabanum et Hatton Turonis direxit ad Albinum magistrum liberales discendi gratia artes, Brunan ad Einhartum variarum artium doctorem peritissimum, Modestum cum aliis ad Clementem Scottum grammaticam studendi". 6. V. infra Theodulfi versus, ex quibus intelligimus, Einhartum praeter alias „operosas res" easque portabiles („operosas nunc ferat et res") paravisse etiam libros et spicula. [Spicula illa potius dicteria fuisse vel argumenta contra Scotti cuiusdam procacitatem parata, Dümmlerus monet, neque vero libros paravisse ibi dicitur. *W.*] Cf. etiam Einharti epitaphium a Rhabano scriptum infra: „ac multis arte fuit utilis; quem Carolus princeps propria nutrivit in aula, per quem et confecit multa satis opera". 7. Alcuini ad Carolum regem ep. 85 (cf. supra p. 6 n. 4): „Beseleel, vester immo et noster familiaris adiutor, de paternis versibus apponere poterit".

sillum illius corpus aliquando irriderent iocularibusque nominibus eum appellarent sic: „Nardulus, parvulus, homuncio[1]*, homullus“*[2]*. Ipsius Alcuini enim est carmen hoc*[3]*, per iocum ut videtur in ostio Einharti positum*[4]*:*

Ianua parva quidem et parvus habitator in aede est.
Non spernas nardum, lector mi[a], corpore parvum,
Nam[b] redolet nardus spicato gramine multum.
Mel apis[c] egregium portat tibi corpore parvo.
Parva quidem res est oculorum, cerne, pupilla;
Sed regit imperio vivacis corporis actus,
Sic regit ipse domum totam sibi Nardulus istam.
„Nardule“, dic lector pergens: „tu parvule, salve“.

Et iam anno 796 Theodulfus episcopus Aurelianensis in versibus Carolo scriptis haec de Einharto protulit[5]*:*

Nardulus huc illuc discurrat perpete gressu,
Ut, formica, tuus pes redit itque frequens.
Cuius parva domus habitatur hospite magno,
Res magna et parvi pectoris antra colit.
Et nunc ille libros, operosas[d] nunc ferat et res,
Spiculaque ad Scotti nunc paret apta necem.

Num palatii feminae quoque exiguitate Einharti oblectatae sint, non reperimus; id tamen manifestum est, unam nobilissimam feminam ei mirabiliter favisse. Uxorem enim duxit Immam[6]*, sororem Bernharii*[7] *viri praestantis, qui simul et ecclesiae Wormatiensi episcopus et coenobio Wizenburgensi abbas praefuit. Ea*

a. in *edd.* [quod mihi retinendum esse videtur. *W.*] b. Iam *edd.* c. Mel apis *scripsi pro* Me lapis *edd.* d. operosus *ed.* [quod cur mutandum sit, equidem non video. *W.*]

1. V. Walafridi prologus: „Predictus itaque homuncio, nam statura despicabilis videbatur —“. 2. V. Walafridi versus infra p. 11. 3. Alcuini carm. n. 242, opp. ed. Frobenius II 231. 4. Cf. Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 124 n. 2 [ed. 3, I, 139, ubi versus 1, 2—4, 5—8 sciungendos esse, ut tria inde epigrammata efficiantur, asserui. *W.*] 5. Theodulfi carminum L. III. 1 v. 155—160, opp. ed. Sirmondus p. 186. [His testimoniis iam addendum est, Nasonem quoque nescio quem in versibus quos vivente Carolo imperatore scripsit, „Nardum“ laudare inter eos, qui carminibus imperatori placuerint; quem summo honore pollere ait; v. Dümml. in annali: Zeitschrift f. deutsches Alt. N. F. VI 64. *W.*] 6. V. Ludovici I imp. diploma d.

tantopere marito obsequebatur tantumque ab eo diseebat, „ut non sui sexus modo verum etiam turbam virorum sua insigni prudentia gravitate atque honestate longe superaret“[1]. *Neque ignoramus, a marito quoque uxorem ultra obitum amantissime cultam esse*[2]; *quamvis liberos eis fuisse certum non sit*[3].

Post Caroli mortem multis annis etiam Ludovici I impera- 814
toris ministerium Einhartus fideliter persequebatur[4] *in summoque*
apud eundem honore fuit. Qui quidem, cum Lotharium anno 817 817
in regni societatem accepisset, ducem morumque magistrum iuveni regio ipsum Einhartum dedisse videtur[5]. *Eiusdem, ut quidem verisimile est, imperatoris largitione Einhartus, cum uxorem dilectam haberet in matrimonio*[6], *nonnullis monasteriis abbas prae-*

d. 11 Ian. 815 (Codex Lauresham. diplom. T. I 44): „fideli nostro Einhardo nec non et coniugi suae Immae“. Eam nobilissimam feminam appellat Lupus in ep. 4 (opp. p. 9): „nobilissimae illius feminae“. 7. V. Einharti ep. 3 Bibl. IV p. 442 n. 4. In coenobio Laureshamensi, quem quidem locum Einhartus donatione sibi devinxerat (v. infra p. 10), saeculo XII fabulose narrabant, Immam ipsius Caroli imperatoris fuisse filiam Einhartoque post amatorios casus, patre tandem concedente, nupsisse; v. Cod. Lauresham. dipl. I p. 40 sq., ep. 3.

1. Haec scripsit Lupus Ferrariensis in ep. 4, opp. p. 11. 2. V. infra. 3. Eos enim d. 12 Sept. 819 nondum auctos liberis fuisse, patet ex tabula in Cod. Lauresham. T. I 46, ubi Einhartus et Imma „Filios quoque“ inquiunt „si nos habere contigerit“. Tantoque magis dubium est, num Vussin ille natura filius Einharti fuerit, ad quem eius ep. 56 (Bibl. IV. p. 477) missa est. Nam scriptor etsi Vussinum sic alloquatur: „fili“, „mi nate“, tamen verba haec perinde animi filium atque corporis declarant; ut omittam, ipsam epistolam videri tantum ab Einharto scriptam esse. 4 Translatio SS. Marcellini et Petri c. 2: „atque illius, cui tunc militaveram, principis Hludowici“. 5. V. Einharti ep. 7, Bibl. IV p. 445. 6. Sunt qui Einhartum propterea, quod abbas factus sit, diremisse nuptias putent (ut Mabilio Annal. ord. Bened. II 426). Sed in tabulis sequentis adnotationis reperimus, eum, licet iam d. 2 Iun. 815 coenobium Blandiniense abbas regeret, tamen etiam die 12 Sept. 819 liberos procreaturum fuisse. Nec latet, eum cum Imma uxore usque ad mortem eiusdem una vixisse (v. infra). Pertzius etiam (Mon. Germ. SS. II 427) eum „presbyterum consecratum missam legisse“ scripsit, perperam intelligens in Historiae translationis SS. Marcellini et Petri cap. 42 haec Einharti verba: „cum propter matutinum officium celebrandum ad ostium ecclesiae venissemus“; nam quivis laicus id ipsum de se pronunciare potest. Ceterum ipsa mona-

fectus est[1]*: S. Petri Blandiniensi, ubi gratam eius memoriam diu retinebant*[2]*, S. Bavonis Gandensi*[3]*, S. Servatii ad Mosam Traiec-*

steria illo tempore sub laicorum dominationem subici solita esse, docet Paschasii Radberti vita Walae (Mon. Germ. SS. II 549) his verbis: „Monasteriorum interea ostendit et enumeravit pericula, cum iam tunc temporis nonnulla iam a laicis tenebantur; etsi hodie multo minus inveniuntur, quae de proprio regantur ordine, sed sunt omnia paene mundi usibus et studiis occupata vel depravata".

1. Quibus in tabulis Einhartus et abbas et sine abbatis titulo compareat, hoc loco breviter comprehenderem placuit. Sunt enim hae:

815 Ian. 11, Aquisgrani palatio regio. Einhartus et eius coniux Imma a Ludovico I imperatore locum Michlinstat in silva Odonewalt et villam Mulinheim superiorem in pago Moynecgowe dono accipiunt. Diploma Ludovici, Cod. Lauresham. I 44.

815 Iun. 2, Aquisgrani palatio regio. Einhardo abbate petente, Ludovicus I imperator coenobium Blandiniense tuendum suscipit. Vande Putte Annales S. Petri Blandiniensis p. 69. Miraei Opp. dipl. I 131.

819 Apr. 13, Aquisgrani palatio regio, Einhardo abbate petente, Ludovicus I imperator coenobium S. Bavonis Gandense tuendum suscipit. Miraei Opp. dipl. I 18.

819 Sept. 12, in Laureshamo monasterio. Einhardus et Imma coenobio Laureshamensi cellam Michlenstat in pago Plumgowe, in silva Odonewalt, donant „ea ratione, ut, quam diu in hac mortalitate divina iussione vixerint, habeant cellam in sua potestate; filios quoque si se habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione sibi iure precario succedat". Cod. Lauresham. dipl. I 46.

820 Sept. 2, Carisiaco palatio. Einhartus subscribit tabulam, qua, concedente Ludovico I imperatore, Bernharius Wormaciensis episcopus et abbas Wizenburgensis cum Huc quondam comite permutationem bonorum facit. Zeuss Traditiones Wizenburgenses p. 73—76.

821? — —, Traiecto citra Hrenum in monasterio S. Servasii. Einhardus abbas S. Servacii Meginfridum manumittit „anno Christo propitio imperii domni VI, indictione XIIII". Carpentier Alphabetum Tironianum p. 77, charta 47.

824 — —, Argentogilo. Einhardus abbas et Theodredana abbatissa Argentogilensis (filia Caroli M.) permutationem mancipiorum faciunt „anno undecimo, regnante domino Hludowico piissimo imperatore". Mabillon De re diplomatica p. 515.

830 Ian. 21, in monasterio Blandinio. Einhardus abbas Norberto beneficium concedit. Warnkoenig Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte T. I, append. p. 101.

839 (?) Sept. 7 — — Einhardus abbas (Blandiniensis) Engelhardo beneficium concedit „sub die 7 Id. Sept., anno 27 regnante domino nostro Hludowico gloriosissimo imperatore". Warnkoenig Flandr. Staats- und Rechtsgeschichte T. I, append. p. 13.

2. V. Series abbatum S. Petri Blandiniensis scripta saec. XII (Vande Putte Annales S. Petri Bland. p. 24): „locus iste pene ad nichilum est redactus, donec surrexit in eodem monasterio Ainardus. Hic 24 clericos in hoc monasterio constituit". Cf. Chron. S. Petri Bland. (ibid. p. 58), Historia S. Petri Bland. (ibid. p. 68, 69) et „carta Einardi piissimi abbatis" (ibid. p. 71—74). In Annalibus Bland. (Mon. Germ. SS. V 23) variae memorantur donationes factae sub Fulrado abbate anno 825, sub Einardo annis 826, 830, 832, 838, 839; ut non ante a. 825 huic coenobio praefuisse Einhartum confidas, nisi iam d. 2 Iunii 815 hoc munere functum eum esse constet; v. supra. De Blandinio cf. etiam Einharti ep. 54 Bibl. IV p. 476. 3. V. supra ad 819 Apr. 13; et cf. Einharti epp. 9, 10, 54 Bibl. IV p. 447, 449, 476.

tensi[1], *S. Wandregisili Fontanellensi*[2]. *Atque adeo in Italia „ex beneficio regum“ tenuit basilicam b. Iohannis baptistae Papiensem, „quae vulgo Domnanae vocatur“*[3]. *Cum aula autem etiamsi Ludovico imperante iam paulo minus artam rationem habuit*[4] *hibernaque tantum tempora Aquisgrani degere solebat*[5], *tamen in palatinis annumerari non ita facile est desitus. Walafridus enim* 829
cum anno 829 ipsam Ludovici imperatoris aulam carmine[6] *celebraret, inter aulicos Einhartum tum vehementer aegrotantem*[7] *commemoravit his versibus:*

(De Einharto magno)

Nec minor est magni reverentia patris habenda
Beseleel, fabre[a] primum qui percipit omne
Artificum praecautus opus. Sit[b] denique summus
Ipse levans[c] infirma Deus, qui[d] fortia temnit.
Magnorum quis enim maiora receperat umquam,
Quam radiare brevi[e] nimium miramur homullo.

Sed iam insequente anno Einhartus muneribus aulicis levatus 830
est. Etenim anno 830, Ludovico imperatore in Britanniam profecto, cum eiusdem filii ex priore uxore geniti arma contra patrem sumerent et ipsa Iuditha invidiosissima imperatrix, Aquisgrano

a. *Nescio an* fabri *legendum sit. W.* b. Sic *ed.* c. legens *ed.* d. sic *ed. [Equidem tribus hisce locis lectionem vulgatam retinendam esse arbitror, quia aperte auctor respicit verba epistolae I ad Cor. I, 27. W.]* e. in *excidisse videtur.*

1. V. p. 10 ad 821? 2. Annis 816—823 coenobio Fontanellensi praefuisse Einhartum, docent Gesta abbatum Fontan., Mon. Germ. SS. II 294. Cf. Einharti ep. 20 Bibl. IV p. 457. 3. V. Hist. translat. SS. Marcellini et Petri c. 12. 4. Cf. infra Einharti epitaphium, ubi Rhabanus eundem scribit a Carolo tantum (non a Ludovico) „propria nutritum esse in aula“. 5. Hist. transl. SS. Marcellini et Petri c. 44: „cum ego mense Novembrio, secundum consuetudinem in palatio hiematurus, ad comitatum ire disponerem“. Cf. Einharti ep. 27 Bibl. IV p. 461. 6. quod edidit Dümmlerus ap. Haupt Zeitschrift für deutsches Alterthum XII 461—469. 7. V. Einharti ep. 9 scripta a. 830 l. c. p. 448: „nimia ventris solutio et renium dolor in me alternando sibi succedunt. Sunt pariter hec et alia, que mihi ex illo morbo, in quo anno praeterito (i. e. anno 829) iacui, contigerant: dextri videlicet femoris continuus torpor ac splenis pene intolerabilis dolor“. Ad eundem anni 829 morbum spectant, quae leguntur in Einharti ep. 14 ib. p. 452: „de illis meis petitionibus, quibus tunc, quando imminentis viciniam mortis exhorrui, vobis suggessi“.

830 *Compendium properans, Einhartum se sequi iussisset, is in tanto illius temporis discrimine, iterum adversa valetudine contracta, neque ad Iuditham neque ad Ludovicum accessit, sed domum revertendi veniam et petiit*[1] *et obtinuit*[2]. *Ac quamquam nemini dominatorum tantopere discordantium odio esse nitebatur sicque „mira quadam librationc“*[3] *se gerebat, ut neque Ludovici imperatoris gratia orbaretur et filiis eius maximeque Lothario imperatori placeret*[4], *obligit ei tamen, ut, posthac a palatii officiis vacuus, cui vitae rationi erat puerili aetate Fuldae traditus, eandem fere teneret deinceps suae domi.*

815 *Num cum anno iam 815 duos vicos, Michlinstat in silva Odonewalt et Mulinheim superiorem*[5] *Moeno flumini appositum, a Ludovico imperatore muneri accepisset*[6], *ut basilicae Michlinstatensi postea aedificatae sanctorum reliquiae compararentur, anno*
827 *827 Ratleicum notarium suum Romam misit; isque, furto ibidem facto, corpora sanctorum Marcellini et Petri in basilicam illam perduxit. Sed Einhartus, maxime ut videtur propter lentitudinem*
828 *hominum illius regionis*[7], *sanctos iam mense Ianuario a. 828 Mulinheim superiorem transportavit; ubi tot miracula edebantur, ut ibidem et omnino exinde libentissime moraretur et, iam palatinis*
830 *curis liberatus, anno 830 stabilem sibi sedem poneret*[8].

1. V. Einharti epp. 8, 9, 10 Bibl. IV p. 447—449. 2. V. Einharti ep. 12 ib. p. 450: „quando mihi licentiam inpetrastis pergendi“ cet. 3. V. Walafridi prologus infra. 4. V. Einharti ep. 11 et 12 l. c. p. 450. 5. Fuerunt duo vici Mulinheim, superior et inferior; et superior quidem hodie Seligenstadt appellatur, inferior inter Offenbach et Hanau etiam nunc dicitur Mühlheim. 6. V. supra p. 10 n. 1 ad 815 Ian. 11. 7. Translat. SS. Marcellini et Petri cap. 18: „comitante nos pauperum turba, quae illo — undecumque confluxerat; nam circamanentes populi, quid apud nos ageretur, penitus ignorabant“; cf. cap. 17; „praesertim in illa regione, in qua, tametsi quaedam coenobia ab eo loco, in quo eramus, haud longe posita esse constabat, tamen propter rudem in his locis eius conversationis institutionem aut rarus aut nullus erat, de cuius sanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur“. 8. Ex historia translationis SS. Marcellini et Petri, quae quo tempore gesta sint liquet, ea hoc loco coniunctim attingenda duxi:

826 exeunte anno S. Sebastiani corpus in coenobium S. Medardi Suessionense trans-

Hoc loco de translatione et miraculis sanctorum suorum Marcellini et Petri iam exeunte anno 830[1] *conscripsit librum* 830

fertur. Transl. cap. 2. (De tempore v. Annales Einharto ascripti 826, Mon. Germ. SS. I 215).

(827) In palatio Aquisgrani. Einhartus Ratleicum notarium suum cum Deusdona, ecclesiae Romanae diacono, Romam mittit. Transl. 3.

(827) in basilica b. Tiburtii, prope Romam in via Lavicana. Ratleicus corpora SS. Marcellini et Petri furatur. Transl. 7, 8 sq.

(827) in monasterio S. Bavonis. Einhartus Ratleici de apportatione corporum SS. Marcellini et Petri litteras accipit. Transl. 13, 14.

827 Oct. Michlinstat. Ratleicus corpora SS. affert. Transl. 14. (Annales Einharto ascripti 827: „Octobrio mense in Franciam translata").

827 Michlinstat. Einhartus advenit. Transl. 15.

828 Ian. 17. Ad Mulinheim superiorem Einhartus corpora SS. transfert. Transl. 20.

828 Ian. 18. Mulinheim sup. Einhartus corpora in absida basilicae collocat. Transl. 21.

828 Ian. Aquisgranum Einhartus regreditur, ab imperatore vocatus. Transl. 21.

828 Mart. 29. In coenobio S. Medardi Suessionensi. Einharti legati partem corporis S. Marcellini surreptam reposcunt. Transl. 26: „in die palmarum".

828 Mart. 31. ibidem. Einharti legati partem corporis S. Marcellini accipiunt. Transl. 26: „per triduum".

828 Apr. Aquisgrani. Einharti legati partem corporis S. Marcellini Hildoino abbati S. Medardi Suessionensi apportant. Transl. 26.

828 post Apr. 12. Aquisgrani. Einhartus ab Hildoino partem corporis S. Marcellini recuperat. Transl. 26: „post sanctum pascha (Apr. 5) octo vel eo amplius diebus".

828 Apr. — Iun. Aquisgrani. Pars corporis S. Marcellini in oratorio Einharti „diebus quadraginta vel eo amplius" habetur. Transl. 29.

828 Mai. Aquisgrani. Einhartus particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri in monasterium S. Servatii Traiectense mittit (Transl. 81), ubi miracula facta sunt diebus his: 4, 8, 9, 10, 13, 14 („XVIII Kal. Iul., die dominico"), 17, 21, 23 Iunii (Transl. 81—89).

828 Iun. Aquisgrani. Einhartus Georgio presbytero S. Salvii Valentianensi „anno quarto (imo quinto) decimo imperii Hludowici augusti" donat particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri (Transl. 69), quarum miracula deinceps fiebant diebus: 19 Iunii (Tr. 69), 21, 24, 26, 27, 28 Iunii, 4, 6, 7, 12, 26 Iulii (Tr. 70—75).

828 Iun. — Einhartus particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri in coenobium S. Bavonis Gandense mittit (Transl. 76), ubi „anno octingentesimo vicesimo octavo" miracula facta sunt diebus: 3, 5, 12, 14, 21 Iulii, 15, 16 Aug., 22, 25, 26, 27, 30 Sept. (Tr. 76—80).

828 Iun. Mulinheim. Einhartus partem corporis S. Marcellini affert. Transl. 29, 30.

828 Nov. Mulinheim. Einhartus „se ad palatium (Aquisgranense) ire parat". Transl. 31.

828 Nov. Aquisgranum Einhartus „ibidem hiematurus" proficiscitur. Transl. 33. 44.

828 Dec. Aquisgrani. Einhartus „post unum ex quo illo venerat mensem exactum" Ellenhardum Mulinheim mittit. Transl. 46.

829 Dec. 1. Mulinheim. Einhartus Aquisgranum proficiscitur. Transl. 56.

829 Dec. 2. Wisibadae Einhartus moratur; ubi fuerat „ante biennium de palatio revertens et reliquias beati martyris Marcellini, quae tunc ei redditae fuerunt, deferens". Transl. 56.

830 Iun. 1 et 2. Mulinheim. Einhartus „die natalitio SS. Marcellini et Petri" miracula fieri videt. Transl. 54, 55; cf. Transl. 93.

830 Aug. medio. Mulinheim. Einhartus a Deusdona diacono Romano articulum digiti beati Hermetis accipit. Transl. 93.

830 Aug. 28. Mulinheim. Einhartus miraculum fieri videt „dominica, V Kal. Sept." Transl. 93.

1. Novissimum miraculum enim, de quo Einhartus in hoc libro memorat, die 28 Aug. 830 factum est; v. eam quae praecedit adnotationem.

quem habemus[1], *amplum et qui legatur dignum. At evanuit Libellus de adoranda cruce, quem sex fere annis tardius dedicavit adolescenti amico Lupo*[2], *postea abbat Ferrariensi, qui illa aetate in monasterio Fuldensi studiis deditus, cum ibidem Caroli imperatoris vitam reperisset, plurima capta opusculi delectatione, cognitionem usumque scriptoris expetierat*[3]. *Itaque illic aliquot annos in otio vivebat Einhartus, ab Imma uxore sua adiutus „in omni actione, in omni negocio, in tota domus ac familiae administratione, in cunctis, quae ad divinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis“*[4].

836 *Hinc nimirum ineunte anno 836 ex obitu Immae*[5] *coniugis carissimae hausit admodum gravem diuturnumque dolorem. Eoque acerbius ferebat calamitatem, quod, quorum sanctorum a sese magnopere cultorum ossa ossiumque particulas tam multis advenis aegrotantibus largissime mederi viderat, Marcellinus et Petrus de ipsa uxore sua spem omnem deceperint*[6]. *Neque amici deerant, quominus amaritudinem moeroris augerent, de mortua lugenti inep-*

1. Hunc ediderunt Godefridus Henschenius in Act. SS. Iun. T. I 181—206 et Teulet Oeuvres complètes d'Eginhard T. II 175—376. 2. V. Lupi Ferrariensis ep. 3, opp. ed. Baluzius p. 18: „Libellum de adoranda cruce, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus sum“. 3. Lupi ep. 1, opp. p. 3: „Quare cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum praecipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci oportunitatem, ut vos praesentes alloqui possem“. 4. V. Lupi ep. 3, opp. p. 7. 5. Lupus (quem anno 836 Fulda in Galliam rediisse constat), acceptis Einharti de Immae morte litteris dolore refertis (Lupi ep. 3, opp. p. 5) respondit epistola consolatoria (ep. 4, opp. p. 9—18); in qua (p. 18) et significavit, se „medio Maio hinc (i. e. e monasterio Fuldensi in Galliam) recedere decrevisse“, et scripsit haec: „Atque utinam sic omnia; quaecunque ab initio enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non gravemini“. (Cf. etiam ibidem verba haec: „sicut vobis, si recordamini, dixi“). E quo apparet, eodem spatio mensium Ianuarii — Aprilis a. 836 et Lupum prius apud Einhartum fuisse et deinde Immam mortuam esse. 6. V. Lupi ep. 3, opp. p. 6, ubi sic scripsit Einhartus: „Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem accumulat et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quam in martyrum meritis atque interventione collocavimus, expectationem nostram ex asse frustrata est“.

tam gratulationem faciendo[1]. *Sed tenerrima solatia ei afferebantur Lupi litteris*[2]; *itemque Ludovicus imperator, qui ad sanctos illos anno 836 accessit*[3], *Einharti consolandi gratia eo venisse videtur. Quem tamen — licet constantiam captans profiteretur, se Immae „mortalitatem magis quam vitam videre esse finitam“*[4] *— existimem ultra haudquaquam bene beateque vixisse, quoad sua morte defunctus est die 14 Martii anni 840*[5]. *Eius elogium autem Rhabanus,* 840
tum abbas Fuldensis, ita scripsit[6]:

Te peto, qui hoc templum ingrederis, ne noscere spernas,
Quid locus hic habeat quidque tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto,
Einhardus[a] nomen cui genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu atque ore facundus
Extitit, ac multis arte fuit utilis.

a. Emhardus *Brower.*

1. ibid.: „atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudii vel laetitiae valent demonstrare vestigium“. 2. Lupi ep. 4, opp. p. 9—17. 3. V. Annales Fuldenses (Mon. Germ. SS. I 360) 836: „imperator ad Franconofurd venit, inde ad sanctos Marcellinum et Petrum et inde ad Ingilenheim“ cet. 4. V. Lupi ep. 3, opp. p. 7. 5. Supremum Einharti diem repetimus ex Necrologio Laureshamensi (ap. Boehmer Font. III 146): „2 Id. Mart. Einhardi abbatis; hic Sancto Nazario cellam Michilinstat cum centum mancipiis et omni integritate dedit“, et ex necrologio Fuldensi (ap. Leibnitium SS. Brunsvic. III 762): „Einhart abbas 2 Id. Martii“. (Nec tamen reticere licet, Mabilionem in Annal. ord. Bened. Lib. 32, 16 T. II 610 scripsisse haec: „In vetusto breviario Fontanellensi notatur; „„15 Kal. Iunii Einardi abbatis Fontanellae commemoratio““). [Diem 12. Kal. Apr. indicat vetustum necrologium Wirziburgense, quod post Eckhardtum denuo edidit Dümmlerus in: Forschungen zur Deutschen Geschichte VI 116. *W.*] Annum indicant annales mortuorum Fuldenses (ap. Dronke Traditiones et antiquitates Fuldenses p. 168): „Annus domini DCCCXL. Ob. uualdhelm, einhart . . . hluduuicus imperator“ cet. Annales S. Bavonis Gandenses quidem, in Mon. Germ. SS. II 187, Einharti obitum ad annum 844 referunt; sed hi annales sero congesti prae vetustate relationis Fuldensis longe recedunt, cum praesertim vitiose doceant „anno 826 Eynardum, capellanum Ludovici piissimi imperatoris, factum esse abbatem Gandensis coenobii“, quem quidem scimus eidem monasterio iam anno 819 praefuisse; v. supra p. 10. 6. V. Hrabani Mauri poemata ed. Christophorus Browerus, Moguntiae 1617, p. 88: „Epitaphium Einhardi“.

Quem Carolus princeps propria nutrivit in aula,
Per quem et confecit multa satis opera.
Nam horum sanctorum condigno functus honore,
Exquirens Romae corpora duxit et huc:
Ut multis prosint precibus curaque medelae
Ipsiusque animae regna poli tribuant.
Christe deus, hominum salvator rector et auctor,
Aeternam[b] huic requiem da super astra pius.

Ex libris Einharti iam duos attigi, quorum alter remansit, alter non iam apparet. Epistolae eius sunt Bibliothecae Rerum Germanicarum Vol. IV[1] *editae. Addixerunt ei etiam annales ab anno 741 ad annum 829 progressos*[2]*; quae res quibus argumentis confirmetur, alias considerabimus. Iam nostra maxime interest, ut de ea tractemus, quae ipsum scriptorem unice nobilitavit quamque proposituri sumus, Caroli Magni vita.*

Einhartus igitur, permultorum Caroli in se beneficiorum memor gratusque, imperator cum esset mortuus, non longa mora interposita vitam eius memoriae prodendam suscepit. Et ea quidem voluntas fuit, non ut omnes illius res gestas plene et accurate persequeretur, sed ut, licet rerum ipsarum conspectus fieret, tamen ingenium moresque Caroli prominerent, vitaque eius domestica studiosius adumbraretur quam publica[3]*. Qua in deliberatione scriptor novum imperatorem cum antiquis Romanorum imperatoribus contulit; idque egit, ut eorundem imaginibus a Suetonio pictis haud imparem illius imaginem aggregaret. Inde autem verebantur viri*

b. Aeternum *Brower*.

1. p. 437 sq. 2. Mon. Germ. SS. I 135—218; de quibus annalibus cf. Ranke Zur Kritik fränkisch-deutscher Reichsannalen, Berlin 1855; et Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 126 bis 134; ed. 3, I 142—150. II 370. 3. V. Einharti praefatio: „Vitam et conversationem et ex parte non modica res gestas Karoli — scribere animus tulit"; cap. 4: „ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas transire disposui; ita tamen, ut primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia, tum de regni administratione et fine narrando" cet.; cap. 6: „nisi, vitae illius modum potius quam bellorum quae gessit eventus memoriae mandare praesenti opere, animo esset propositum".

docti, ne vestigiis Suetonii sequendis officii sui partes excesserit. Nec potest dubitari profecto, quin archetypum imitationi praestet. At aeque certum est, illo instituto Einhartum non modo non deminuisse narrrationis fidem, sed contra haud mediocriter Caroli cognitionem adauxisse. Namque lectitando Suetonii opere sincerus medii aevi homo earum, quas viderat in Carolo, rationum facultatumque quasi conscius factus est; didicitque a percontante ut ita dicam atque interrogante vetere historico picturae suae lineas mente concipere; quarum magna pars ut omnino praeteriretur, sine scriptoris Romani disciplina futurum fuisse confidam. Quantumvis autem et rerum digestionem et singulas locutiones ex magistri opere saepius captaverit[1]*, tamen, ubi de rebus agitur, assumptis illinc verbis plerumque aut aliud ac apud Suetonium declarari videmus*[2]

1. Eiusmodi sunt haec. Cap. 4: „ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas — transire disposui; ita tamen" cet. (Suet. Octav. c. 9: „Proposita vitae eius velut summa, partes singillatim — exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint"). C. 5: „Omnium bellorum, quae gessit, primo Aquitanicum — suscepit" (Suet. Oct. c. 10: „Omnium bellorum initium et causam hinc sumsit"). C. 10: „Domuit et Brittones" (Suet. Oct. c. 21: „Domuit autem — Cantabriam" cet.). C. 18: „Talem eum in tuendo — regno fuisse constat, cuius animi dotes — ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar" (Suet. Oct. c. 61: „Quoniam, qualis in imperiis — fuerit, exposui, referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam"). C. 33: „Testamenta facere instituit" (Suet. Oct. c. 101: „Testamentum — factum ab eo" cet.). 2. His rationibus: Cap. 17: „Praecipue tamen aedes sacras, ubicumque in toto regno suo vetustate conlapsas comperit, pontificibus et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperavit" (Suet. Oct. c. 30: „Aedes sacras vetustate collapsas — refecit"). C. 22: „Et non solum filios ad balneum, verum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines una lavarentur" (Suet. Tit. 8: „nunnunquam in thermis suis, admissa plebe, lavit"). C. 24: „Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur" (Suet. Oct. c. 74: „Coenam ternis ferculis, aut, cum abundantissime, senis praebebat"). C. 25: „Latinam (linguam) ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare — i. e. precari — sit solitus" (Suet. Tit. c. 3: „Latine Graeceque vel in orando — i. e. in contio-

aut prorsus contrarium[1]. *Ex quo efficitur, si Einhartus rem aut similem*[2] *aut eandem*[3] *quam ille eiusdem vocabulis significet, ipsas*

nando — vel in fingendis poematibus promtus et facilis"). C. 27: „Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma — vetere polleret auctoritate" (Suet. Vesp. c. 8: „ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam — rem publicam stabilire").

1. Velut cap. 19: „Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit" (Suet. Oct. c. 65: „Aliquanto autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit"); ibidem: „Erat enim in amiciti is optime temperatus, ut eas et facile admitteret et constantissime retineret" (Suet. Oct. c. 66: „Amicitias neque facile admisit et constantissime retinuit"). C. 22: „Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam non excederet" (Suet. Tib. c. 68: „Corpore fuit amplo atque robusto, statura, quae iustam excederet"). C. 23: „Vestitu patrio, id est Francico, utebatur" (Suet. Calig. c. 52: „Vestitu calceatuque neque patrio neque civili — usus est"). C. 24: „Convivabatur rarissime — tunc tamen cum magno hominum numero" (Suet. Oct. c. 74: „Convivabatur et assidue nec unquam nisi recta; non sine magno ordinum hominumque delectu"); ibidem: „post cibum meridianum — depositis vestibus et calciamentis — duabus aut tribus horis quiescebat" (Suet. Oct. c. 74: „Post cibum meridianum ita ut vestitus calceatusque erat — paulisper quiescebat"). 2. Quo e genere cap. 19: „Filias vero lanificio adsuescere coloque ac fuso — operam inpendere iussit" (Suet. Oct. c. 64: „Filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret"); ibidem: „Filiorum ac filiarum tantam curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis caenaret, numquam iter sine illis faceret; adequitabant ei filii; filiae vero pone sequebantur" (Suet. Oct. c. 64: „Neque coenavit una, nisi ut in imo lecto assiderent — nepotes —; neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent aut circa adequitarent"). C. 22: „Exercebatur assidue equitando" (Suet. Tit. 3: „armorum et equitandi peritissimus") C. 23: „Et feminalibus lineis induebatur . . . et tibialia" (Suet. Oct. 82: „Hieme — et feminalibus et tibialibus muniebatur"). C. 24: „In cibo et potu temperans sed in potu temperantior" (Suet. Oct. c. 76: „Cibi minimi erat"); ibidem. „Inter caenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat" (Suet. Oct. c. 74: „et aut acroamata et histriones aut etiam triviales ex circo ludios interponebat"); ibidem: „Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet (Suet. Oct. c. 77: „Vini quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super coenam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit"); ibidem: „Noctibus sic dormiebat, ut somnum

illas res vere aut sub similem aut sub eandem rationem cecidisse.

Sunt editiones libri plures quam viginti[1], *quarum non optimam sed acrumnosissimam effecit Pertzius (Mon. Germ. SS. II 443—463), circiter sexaginta codicibus manu scriptis usus. Ex qua quidem editione comperiri potest, in sola multitudine codicum praesidium vitiorum non inveniri, sed eo providius iudicium tali affluentia flagitari, ne fiat, ut corruptelis librariorum liber antea*

quater aut quinquies non solum expergescendo sed etiam desurgendo interrumperet" (Suet. Oct. c. 78: „non amplius — quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur"); ibidem: „Cum calciaretur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret — statim litigantes introducere iussit" (Suet. Vesp. c. 21: „amicos admittebat; ac dum salutabatur, et calceabat ipse sese et amiciebat; postque decisa, quaecunque obvenissent, negotia"). C. 25: „Erat eloquentia copiosus" (Suet. Oct. 84: „Eloquentiam studiaque liberalia — laboriosissime exercuit"). 3. Ad hunc modum: Cap 3: „Pippinus — morbo aquae intercutis diem obiit" (Suet. Nero c. 5: „decessitque (Domitius) morbo aquae intercutis"). C. 22: „fuit — canitie pulchra . . . unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur" (Suet. Claud. c. 30: „Auctoritas dignitasque formae non defuit vel stanti vel sedenti . . . . nam . . . erat et specie canitieque pulchra"); ibidem: „Quamquam cervix obesa et brevior venterque proiectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas" (Suet. Ner. c. 51: „cervice obesa, ventre proiecto", Oct. c. 79: „sed quae — statura brevis — commoditate et acquitate membrorum occuleretur"); ibidem: „Valitudine prospera; praeter quod — ad extremum etiam uno pede claudicaret" (Suet. Claud. c. 31: Valetudine — perprospera usus est", Oct. c. 80: „crure sinistro non perinde valebat, ut saepe etiam inde claudicaret"). C. 25: „Artes liberales studiosissime coluit" (Suet. Tiber. c. 70: „Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit").

1. Earum primam fecit Coloniae anno 1521 Hermannus a Nuenare. Ex ceteris editionibus saepius enumeratis suffecerit meminisse earum, quas paraverunt anno 1636 Duchesne in Script. hist. Franc. II 91—106, anno 1744 Bouquet in Rec. des hist. V 88—103, anno 1829 Pertzius in Mon. Germ. SS. II 443—463, anno 1839 Ideler Leben und Wandel Karls des Grossen I 49—98, anno 1840 Teulet Oeuvres complètes d'Eginhard I 1—114.

satis bene editus maculetur veraque scriptoris verba in supposita quidem lectionum varietate neque vero in ipsa oratione reperiantur[1].

In hac editione adornanda equidem mihi non proposui inutilem illam molestiam, ut iterum ex tot saeculorum codicibus calamo scriptis omnem pulverem in legentium oculos excuterem. Sed

1. Ne inique iudicare de editione Pertziana videar, in hunc locum nonnulla ab eo aut depravata aut non correcta conduxi. Scripsit enim in Einharti praef.: „silentio atque oblivione tradantur" (pro: „oblivioni"); „et scribendo ingenioli mei periculum facere" (pro: „et haec scribendo" cet.); cap. 1: „Ad regni amministrationem — procurabat" (pro: „At regni" cet.); cap. 7: „quin aut ipse per se ductorem aut per comites suos misso exercitu perfidiam ulcisceretur" (pro: „quin aut ipse per se ducto aut per comites suos misso exercitu perfidiam eorum ulcisceretur"); cap. 8: „Hoc bello, licet permultum temporis spatio traheretur" (pro: „Hoc bello, licet per multum temporis spatium traheretur"); „apud Hasa fluvium" (pro: „apud Hasam fluvium"); „quae alicubi erant gerenda" (pro: „quae aliubi erant gerenda"); cap. 9: „Wasconiam perfidiam" (pro: „Wasconicam perfidiam"); cap. 13: „Quod proelia in eo gesta" (pro: „Quot proelia" cet.); „ut nec vestigium quidem" (pro: „ut ne vestigium quidem"); cap. 15: „sub Dertosae civitatis moenia Balearico mari miscetur" (pro: „sub — moenibus — miscetur"); cap. 17: „per omnes portus et hostia fluminum, qui naves recipi posse videbantur" (pro: „per — fluminum, qua naves recipi cet.). Capitis 18 initium corrupit sic: „cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu mirari liceat constantiam. Ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam ab hinc dicere exordiar" (pro: „cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu constantiam ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar"). In capite eodem omisit ex Caroli concubinis unam cum filia eiusdem: „Madelgardam scilicet, quae peperit ei filiam nomine Ruothildem". Scripsit ibidem: „de qua ei filia nomen Adaltrud nata est" (pro: „de qua illi filia nomine Adalthrud nota est"); cap. 19: „Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua excellebat, nimis patienter tulit" (pro: „Mortes — minus patienter tulit"); ibidem: „Nuntiato etiam sibi Adriani — obitu, sic flevit, ut filium aut si fratrem amisisset carissimum" (pro: „— sic flevit, ac si fratrem aut karissimum filium amisisset"); ibidem: „Filiae vero pene sequebantur" (pro: „Filiae vero pone sequebantur"); cap. 25: „Adeo quidem facundus erat, ut etiam didascalus appareret" (pro: „— ut etiam dicaculus appareret"); cap. 32: „Item pons — fortuitu incendio conflagravit" (pro: „Item pons — fortuito incen-

cum superiore anno Parisiis cognovissem codicem bibliothecae imperialis lat. 10758, a Pertzio non adhibitum, membranaceum, qui fol. 305—328 et fol. 337—338 Einharti librum continet manu saec. IX vel X sic eximie scriptum, ut eundem appareret omnium qui supersunt codicum praestantissimum esse, hunc fere unice secutus sum.

Atque etiam codicem quondam S. Eucharii Trevirensem, hodie bibliothecae caesareae Vindobonensis 529 (olim Hist. prof. 667) membranaceum saec. X adii eodem anno 1866; omnemque eius lectionem adnotavi, non ideo quod ad recognoscendum ipsum librum magna momenta habeat, sed ne optimum Pertzii codicem[1] *excluderem utque palam fieret, hoc eiusdem editionis fundamentum quam infirmum sit. In adnotationibus igitur declarat:*

P *codicem Parisiensem,*

T *codicem Vindobonensem, quondam Trevirensem.*

Asservant autem in bibliotheca universitatis Havniensis inferiorem aetate quidem codicem olim Kirschgartensem[2] *chartaceum saec. XV, signatum* Arn. Magn. 830, *sed idcirco gratissimum, quod in eo inest Einharti liber a Walafrido Strabone abbate Augiensi (842—849), qui illum bene novit, in capita 39 divisus et capitum titulis adauctus*[3] *atque, quod gravissimum est, exornatus*

dio conflagravit"); ibidem: „ut fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato — exarmatus non sine amminiculo levaretur" (pro: „ut — exarmatus et sine amiculo levaretur"). Omisit in cap. 33 verba haec: „in tertiae illius et".

1. V. Mon. Germ. SS. II 441. 2. Continet codex enim Pseudoturpini quoque librum, cui haec sunt subiuncta: „Scriptus fuit liber iste Turpini archiepiscopi de gestis beati Karoli in Hyspania factis per suppriorem ordinis canonicorum regularium in Kyrszg(arten) iuxta Wormatiam anno Domini 1496 in octava sancti Augustini patris nostri". 3. Ad hunc modum: „De Meroingis, qui multo tempore Francis vano regum nomine imperaverunt primum capitulum"; „De Karolo maiore domus secundum capitulum"; „De Pipino et Karolomanno et filiis tertium capitulum" cet. Sed partitionem operis a Walafrido non ita convenienter institutam reliqui, acquiescens in divisione usu recepta. — In eodem codice ut in aliis nonnullis libris manu scriptis operi Einharti adiuncti sunt Gerwardi (de quo v. Einharti ep. 39 Bibl. IV p. 467) versus hi:

pretioso de ipso Einharto prologo[1]. *Quem codicem cum P. G. Thorsen omni liberalitate ad me misisset, lepidum illum prologum accurate exscriptum praeponere opusculo licuit.*

Berolini 9 Kal. Iulias a. 1867.

Hos tibi versiculos ad laudem, maxime princeps,
Edidit eternam memoriamque tuam
Gerwardus supplex famulus, qui mente benigna
Egregium extollit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens gestam noris tu scribere lector
Einhardum, magni magnificum Karoli.

1. Huius prologi excerpta tantum leguntur in codice bibliothecae Hannoveranae, ex quo ea Pertzius Mon. Germ. SS. II 440 not.* edidit neque eorum auctoritatem intellexit. Idem ex codice Havniensi postea totum prologum non sine mendis descriptum proposuit in Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde VII 372.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

WALAFRIDI PROLOGUS.

Gloriosissimi imperatoris Karoli vitam et gesta, quae subiecta sunt, Einhartus, vir inter omnes huius temporis palatinos non solum pro scientia verum et pro universa morum honestate laudis egregie, descripsisse cognoscitur et purissime veritatis, utpote qui his[a] pene omnibus interfuerit, testimonio roborasse.

Natus enim in orientali Francia in pago qui dicitur Moingeuui, in Fuldensi cenobio sub pedagogio sancti Bonifacii martiris[1] prima puerilis nutriture rudimenta suscepit. Indeque — pocius propter singularitatem capacitatis et intelligencie, quae iam tum in illo magnum quod postea claruit specimen sapientie promittebat, quam ob nobilitatis quod in eo munus erat insigne — a Baugolfo abbate[2] monasterii supra dicti in palacium Karoli translatus est.

Quippe qui omnium regum avidissimus erat sapientes diligenter inquirere et, ut cum omni delectacione philosopharentur, excolere. Ideo regni a Deo sibi commissi nebulosam et, ut ita dicam, pene cecam latitudinem tocius scientie nova irradiacione et huic barbariei ante partim incognita luminosam reddidit, Deo illustrante. Nunc vero, relabentibus in contraria studiis, lumen sapientie quod minus diligitur rarescit in plurimis.

Predictus itaque homuncio — nam statura despicabilis videbatur — in aula Karoli, amatoris sapientie, tantum glorie incre-

a. hiis. *c.*

1. i. e in schola monasterii S. Bonifatii Fuldensis. 2. 780—802.

menti merito prudentie et probitatis est assecutus, ut inter omnes maiestatis regie ministros pene nullus haberetur, cui rex id temporis potentissimus et sapientissimus plura familiaritatis sue secreta committeret. Et re vera non inmerito; cum non modo ipsius Karoli temporibus sed et, quod maioris est miraculi, sub Lodowico imperatore, cum diversis et multis perturbacionibus Francorum res publica fluctuaret et in multis decideret, mira quadam et divinitus provisa libracione se ipsum Deo protegente custodierit, ut subtilitatis nomen — quod multis invidiam comparavit et risum — ipsum nec inmature deseruerit nec periculis irremediabilibus manciparit.

Hec dicimus, ut in dictis eius minus quisque habeat dubitacionis, dum non ignoret, eum et dilectioni provectoris sui laudem precipuam[a] et curiositati lectorum veritatem prebere[b] perspicuam.

Huic opusculo ego Strabo titulos et incisiones, prout visum est congruum, inserui, ut ad singula facilior[c] querenti quod placuerit elucescat accessus.

EXPLICIT PROLOGUS.

a. p̄cipuū *c.* b. prebere *scripsi pro* debere *c.* c. ad facilior singula *c.*

Vitam[a] et conversationem et ex parte non modica res gestas domini et nutritoris mei Karoli, excellentissimi et merito famosissimi regis, postquam scribere animus tulit[1], quanta potui brevitate complexus sum; operam inpendens: ut de his, quae ad meam notitiam pervenire potuerunt, nihil omitterem, neque prolixitate narrandi nova quaeque fastidientium animos offenderem. Si tamen hoc ullo modo vitari potest, ut nova scriptione non offendantur, qui vetera et a viris doctissimis atque disertissimis[b] confecta monumenta fastidiunt.

Et quamquam plures esse non ambigam, qui, otio ac litteris dediti, statum aevi praesentis non arbitrentur ita neglegendum, ut omnia penitus, quae nunc fiunt, velut nulla memoria digna silentio atque oblivioni tradantur, potiusque velint, amore diuturnitatis inlecti, aliorum praeclara facta qualibuscumque scriptis inserere quam sui nominis famam posteritatis memoriae nihil scribendo subtrahere, tamen ab huiuscemodi scriptione non existimavi temperandum; quando mihi conscius eram: nullum ea veracius[c] quam me scribere posse, quibus ipse interfui quaeque praesens oculata ut dicunt fide cognovi et, utrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui. Satiusque iudicavi: eadem cum aliis velut communiter litteris mandata memoriae posterorum tradere, quam regis excellentissimi[d] et omnium sua aetate maximi clarissimam vitam et aegregios atque moderni temporis hominibus vix imitabiles actus pati oblivionis tenebris aboleri.

a. *In P. hic libri titulus habetur*: VITA KAROLI IMPERATORIS AB EINHARDO DICTATA. b. dissertissimis *P.* c. veratius *P.* d. excelentissimi *P.*

1. Cf. Ovidii Metam. initium „In nova fert animus" etc. *W.*

Suberat et alia, non inrationabilis ut opinor, causa, quae vel sola sufficere posset, ut me ad haec scribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me inpensum et perpetua, postquam in aula eius conversari coepi, cum ipso ac liberis eius amicitia. Qua me ita sibi devinxit debitoremque tam vivo quam mortuo constituit, ut merito ingratus videri et iudicari possem, si, tot beneficiorum in me conlatorum immemor, clarissima et inlustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio praeterirem, patererque vitam eius, quasi qui numquam vixerit, sine litteris ac debita laude manere, cui scribendae atque explicandae non meum ingeniolum, quod exile et parvum immo pene nullum est, sed Tullianam par erat desudare facundiam.

En tibi librum, praeclarissimi et maximi viri memoriam continentem. In quo praeter illius facta non est quod admireris; nisi forte: quod, homo barbarus et in Romana loquutione perparum exercitatus, aliquid me decenter aut commode Latine scribere posse putaverim; atque in tantam inpudentiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarum libro[1], cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: *Mandare quemquam* inquit *litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare possit nec delectatione aliqua adlicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.* Poterat quidem haec oratoris aegregii sententia me a scribendo deterrere, nisi animo praemeditatum haberem: hominum iudicia potius experiri et haec scribendo ingenioli mei periculum facere, quam tanti viri memoriam, mihi parcendo, praeterire.

EXPLICIT PRAEFATIO

INCIPIT LIBER.

I. Gens[a] Meroingorum[b] — de qua Franci reges sibi creare soliti erant — usque in Hildrichum[c][2] regem, qui iussu Stephani[3]

a. *in T. haec praemissa sunt:* Vita Karoli imperatoris. b. Merovingorum *T.* c. Hildricum *T.*

1. I. 3, 6. 2. III, 743—752. 3. imo Zacharia papa (741 bis 752 concedente. V. Regesta pontif. Roman. p. 188.

Romani pontificis depositus ac detonsus atque in monasterium[1] 751—752
trusus est, durasse putatur.

Quae, licet in illo finita possit videri, tamen iam dudum nullius vigoris erat nec quicquam in se clarum praeter inane regis vocabulum praeferebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii praefectos, qui maiores domus dicebantur et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur. Neque regi aliud relinquebatur, quam ut, regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque venientes audiret eisque abeuntibus responsa, quae erat edoctus vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet; cum — praeter inutile regis nomen et precarium vitae stipendium, quod ei praefectus aulae prout videbatur exhibebat[a] — nihil aliud proprii possideret quam unam et eam praeparvi reditus villam, in qua domum et ex qua famulos, sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes, paucae numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni[b] utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At[c] regni administrationem et omnia, quae vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, praefectus aulae procurabat.

II. Quo officio tum, cum Hildrichus[d] deponebatur, Pippinus pater Karoli regis iam velut hereditario fungebatur. Nam pater eius Karolus — qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi 715—741
vindicantes oppressit; et Sarracenos[e], Galliam occupare temptantes, duobus magnis proeliis, uno in Aquitania apud Pictavium[f] civitatem altero iuxta Narbonam apud Birram fluvium, ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret — eundem magistratum, a patre Pippino sibi dimissum, aegregie administravit. Qui honor

a. exibebat *T.* b. regia *T.* c. Ad *T.* d. Hildricus *T.* e. Saracenos *T.* f. Pestavium *P.*

1. Sithiense (dioec. Tarvannensis, in Flandria), secundum Annales Bertinianos 750, Mon. Germ. SS. I 138. Sed Annales Lobienses 750 (Mon. Germ. SS. II 195) tradunt, Hildricum „in monasterio S. Medardi (Suessionensi) esse attonsum".

non aliis a populo dari consueverat, quam his, qui et claritate generis et opum amplitudine ceteris eminebant.

Hunc cum Pippinus, pater Karoli regis, ab avo et patre sibi
741 et fratri Karlomanno[a] relictum, summa cum eo concordia divisum, aliquot annis velut sub rege memorato tenuisset, frater eius Karlomannus — incertum, quibus de causis; tamen videtur, quod amore conversationis contemplativae succensus — operosa tempo-
747 ralis regni administratione relicta, Romam se in otium contulit. Ibique habitu permutato monachus factus, in monte Soracte[b], apud ecclesiam beati Silvestri constructo monasterio[1], cum fratribus secum ad hoc venientibus per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota solvenda Romam solemniter commearent et eum velut dominum quondam suum praeterire nollent, otium quo maxime delectabatur crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam[c] huiuscemodi frequentiam cum[d] suo proposito officere vidisset, relicto monte, in Samnium provinciam ad monasterium sancti Benedicti situm in castro Casino[e] secessit. Et ibi, quod reliquum erat tem-
754 poralis vitae, religiose conversando complevit.

752—768 III. Pippinus autem, per auctoritatem Romani pontificis ex praefecto palatii rex constitutus[f], cum[g] per annos 15 aut eo amplius[2] Francis solus imperaret — finito Aquitanico bello, quod contra Waifarium ducem Aquitaniae ab eo susceptum per continuos novem annos[3] gerebatur — apud Parisios[h] morbo aquae in-
768 Sept. 24 tercutis[4] diem obiit; superstitibus liberis Karlo et Karlomanno[i].

Ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci si-
Oct. 9 quidem, facto solemniter generali conventu, ambos sibi reges constituunt[5]; ea conditione praemissa: ut totum regni corpus ex

a. Karlemanno *T.* b. Saracte *T.* c. Cumque *T.* d. cum *om.* *T.* e. Cassino *T.* f. constituitur *T.* g. cumque *T.* h. Parisius *T.* i. Karlemanno *T.*

1. De monasterio S. Silvestri Soractensi a Zacharia papa Carlomanno concesso v. Codicis Carolini ep. 23 Bibl. IV p. 97. 2. imo amplius annos 16. 3. 760—768. 4. Cf. Suet. Ner. c. 5, supra p. 19 n. 3. 5. Ipsum Pippinum, paulo antequam moreretur, procerum assensu inter filios (iam a. 754 a Stephano III reges unctos) regnum divisisse, manifestum est ex Fredegarii chronico continuato ap. Bouquet Rec. V 9. Sed regnandi initium post Pippini mortem filii fecerunt die 9 Oct. 768, nova consecratione accepta.

aequo partirentur; et Karolus eam partem quam pater eorum Pippinus tenuerat, Karlomannus vero eam cui patruus eorum Karlomannus praeerat regendi gratia susciperet[a][1]. Susceptae[b] sunt utrimque conditiones; et pars regni divisi iuxta modum sibi propositum ab utroque recepta est. Mansitque ista quamvis cum summa difficultate concordia; multis ex parte Karlomanni societatem separare molientibus, adeo ut quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti quam periculi fuisse, ipse rerum exitus adprobavit; cum, defuncto Karlomanno[2], 771 Dec. 4
uxor[3] eius et filii cum quibusdam, qui ex optimatum eius numero primores erant, Italiam fuga petiit et, nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis contulit. Et Karlomannus quidem, post administratum communiter biennio[4] regnum, morbo decessit; Karolus autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur.

IV. De cuius nativitate atque infantia vel etiam pueritia, quia neque scriptis usquam[c] aliquid declaratum est neque quisquam modo superesse invenitur qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas[5], omissis incognitis, transire disposui; ita tamen, ut — primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia eius, tum de regni administratione et fine narrando — nihil de his, quae cognitu vel digna vel necessaria sunt, praetermittam.

V. Omnium bellorum[6] quae gessit primo Aquitanicum, a 769
patre inchoatum sed nondum finitum, quia cito peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo etiam et auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strennuissime exsequutus, non prius incepto desistere aut

a. susceperat *T.* b. Suscepti *P.* c. usquam *corr. in* ūquam *T.*

1. Huic de partito regno relationi falsi aliquid inesse, notissimum est. 2. 771 Dec. 4. 3. Gerberga. 4. imo plus triennio; a primo enim regni die 9 Oct. 768 ad d. 4 Dec. 771 praeterierunt anni 3 et dies 57. 5. Cf. Sueton. Octav. c. 9, supra p. 17 n. 1. 6. Cf. Suet. Oct. c. 10, supra p. 17 n. 1.

769 semel suscepto labori cedere voluit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perseverantia quadam ac iugitate perfecto fine concluderet. Nam et Hunoldum, qui post Waifarii mortem Aquitaniam occupare bellumque iam pene[a] peractum reparare temptaverat, Aquitaniam relinquere et Wasconiam petere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna[b], Lupo Wasconum duci per legatos mandat: perfugam[c] reddat; quod ni festinato faciat, bello se eum expostulaturum. Sed Lupus, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit sed etiam se ipsum cum provincia, cui praeerat, eius potestati permisit.

VI. Compositis in Aquitania rebus eoque bello finito, regni quoque socio iam rebus humanis exempto, rogatu et precibus
773 Hadriani[d] Romanae urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos[e] suscepit. Quod prius quidem et a patre eius, Stefano[f][2] papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est. Quia quidam e primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati eius renisi sunt, ut se regem deserturos domumque redituros libera voce proclamarent. Susceptum tamen est tunc[3] contra Haistulfum regem et celerrime completum. Sed licet sibi et patri belli suscipiendi similis ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen et labore certatum et fine constat esse completum. Pippinus siquidem Haistulfum regem paucorum dierum obsidione apud Ticenum[g] compulit et obsides dare et erepta Romanis oppida atque castella restituere atque, ut reddita non repeterentur, sacramento fidem facere. Karlus[h] vero post inchoatum a se bellum non prius destitit, quam et Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet;
774 filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinatae videbantur[i], non solum regno sed etiam Italia excedere compelleret; omnia Romanis erepta restitueret; Hruodgausum, Foroiuliani ducatus praefectum, res novas molientem opprimeret[4]; totamque Italiam

a. pene *om. T.* b. et aedificato castro Frontiaco *addunt bibliothecae imp. Parisiensis codd. Lat.* 5926 *et* 5927. c. ut profugam *T.* d. Adriani *T.* e. Longobardos *T.* f. sub Stephano *T.* g. Ticenum *T.* h. Karolus *T.* i. *corr. in* inclinata videbatur *T.*

1. I. 2. III, 752--757. 3. anno 754. 4. demum anno 776.

suae ditioni subiugaret, subactaeque filium suum Pippinum regem inponeret[1]. Italiam intranti quam difficilis Alpium transitus fuerit quantoque Francorum labore invia montium iuga et eminentes in caelum scopuli atque asperae cautes superatae sint, hoc loco describerem, nisi, vitae illius modum potius quam bellorum quae gessit eventus memoriae mandare praesenti opere, animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit: subacta Italia; et rex Desiderius perpetuo exilio deportatus; et filius eius Adalgisus Italia pulsus; et res, a Langobardorum regibus ereptae, Hadriano[a] Romanae ecclesiae rectori restitutae.

VII. Post cuius finem Saxonicum, quod quasi intermissum[2] videbatur, repetitum est. Quo nullum neque prolixius neque atrocius Francorumque populo laboriosius susceptum est. Quia Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroces et cultui daemonum dediti nostraeque religioni contrarii, neque divina neque humana iura vel polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant et causae, quae cotidie pacem conturbare poterant: termini videlicet nostri et illorum pene ubique in plano contigui[b] — praeter pauca loca, in quibus vel silvae maiores vel montium iuga interiecta utrorumque agros certo limite disterminant — in quibus caedes et rapinae et[c] incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, ut, non iam vicissitudinem reddere sed apertum contra eos bellum suscipere, dignum iudicarent.

Susceptum est igitur adversus eos bellum, quod magna utrim- 772
que animositate, tamen maiore Saxonum quam Francorum damno,
per continuos triginta tres[3] annos gerebatur. Poterat siquidem 772—804
citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati ac supplices regi se dediderunt[d], imperata facturos polliciti sunt, obsides qui imperabantur absque dilatione dederunt, legatos qui mittebantur susceperunt; aliquoties ita domiti et emolliti, ut etiam cultum daemonum dimittere et christianae religioni

a. Adriano *T.* b. contingui *T.* c. vel *T.* d. dederunt *T.*

1. anno demum 781. 2. Namque iam anno 772 bellum Saxonicum inchoatum erat. 3. 772—804.

se subdere velle promitterent. Sed sicut ad haec facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere praecipites; ut non sit satis[a] aestimare, ad utrum horum faciliores verius dici possint. Quippe cum post inchoatum cum eis bellum vix ullus annus exactus sit, quo non ab eis huiuscemodi facta sit permutatio.

Sed magnanimitas regis ac perpetua tam in adversis quam in prosperis mentis constantia nulla eorum mutabilitate[b] vel vinci poterat vel ab his, quae agere[c] coeperat, defatigari. Nam nunquam eos huiuscemodi aliquid perpetrantes inpune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto[d] aut per comites suos misso exercitu perfidiam e orume ulcisceretur et dignam ab eis poenam exigeret. Usque dum, omnibus qui resistere solebant profligatis et in suam potestatem redactis, decem milia hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus et parvulis
804 sublatos transtulit et huc atque illuc per Galliam et[e] Germaniam multimoda divisione distribuit. Eaque conditione a rege proposita et ab illis suscepta tractum per tot annos bellum constat esse finitum: ut, abiecto daemonum cultu et relictis patriis caeremoniis, christianae fidei atque religionis sacramenta susciperent et, Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur.

VIII. Hoc bello, licet per multum temporis spatium[f] trahe-
783 retur, ipse non amplius cum hoste quam bis acie conflixit[1]: semel iuxta montem qui Osneggi[g][2] dicitur in loco Theotmelli[3] nominato, et iterum apud Hasam[h] fluvium; et hoc uno mense paucis quoque[i] interpositis diebus. His duobus proeliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius regem neque provocare neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent.

Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum quam Saxonum, et functi summis honoribus, viri consumpti sunt. Tan-
804 demque anno tricesimo tertio finitum est; cum interim tot ac tanta in diversis terrarum partibus bella contra Francos et exorta sint et sollertia regis administrata, ut merito intuentibus in dubi-

a. non sit ut satis *P. T.* b. multabilitate *T.* c. *om. T.* d. ductorem *T.* e. *om. T.* f. spatio *T.* g. Osnengi *T.* h. Hasa *T.* i. paucisque *T.*

1. anno 783. 2. Osning. 3. Detmold

um venire possit, utrum in eo aut laborum pacientiam aut felicitatem potius mirari conveniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium[1]; et cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex his, quae aliubi[a] erant gerenda, dimissum aut ulla in parte ab aeque operoso certamine cessatum est. Nam rex, omnium, qui sua aetate gentibus dominabantur, et prudentia maximus et animi magnitudine praestantissimus, nihil in his, quae vel suscipienda erant vel exsequenda, aut propter laborem detrectavit[b] aut propter periculum exhorruit; verum, unum quodque[c] secundum suam qualitatem et subire et ferre doctus, nec in adversis cedere nec in prosperis falso blandienti fortunae adsentiri solebat.

IX. Cum enim assiduo ac pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca praesidiis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu adgreditur. Saltuque 778
Pirinei superato, omnibus quae adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, salvo et incolomi exercitu revertitur; praeter quod in ipso Pirinei iugo Wasconicam[d] perfidiam parumper[e] in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, ut loci et angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Wascones, in summi montis vertice positis insidiis — est enim locus ex opacitate silvarum, quarum ibi maxima est copia, insidiis ponendis oportunus — extremam impedimentorum partem et eos, qui novissimi agminis incedentes subsidio praecedentes tuebantur, desuper incursantes in subiectam vallem deiciunt; consertoque cum eis proelio, usque ad unum omnes interficiunt; ac, direptis impedimentis, noctis beneficio quae iam instabat protecti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. Adiuvabat in hoc facto Wascones et levitas armorum et loci, in quo res gerebatur, situs. E contra Francos et armorum gravitas et loci iniquitas per omnia Wasconibus reddidit impares. In quo proelio Eggihardus regiae mensae praepositus, Anshelmus[f] comes palatii et Hruodlandus Brittannici limitis praefectus cum aliis conpluribus interficiun-

a. alicubi *T.* b. detractavit *T.* c. unum quoque *T.* d. Wasconiam *T.* e. *om.* *P.* f. Anselmus *T.*

1. Saxonicum bellum a. 772, Italicum anno 773 geri coeptum est.

tur[1]. Neque hoc factum ad praesens vindicari poterat; quia hostis, re perpetrata, ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret, ubinam gentium quaeri potuisset.

786 X. Domuit[2] et Brittones, qui, ad occidentem in extrema quadam parte Galliae super litus oceani[a] residentes, dicto audientes non erant, missa in eos expeditione, qua[b] et obsides dare et, quae imperarentur, se facturos polliceri coacti sunt.

787 Ipse postea, cum exercitu Italiam ingressus ac per Romam iter agens, Capuam Campaniae urbem accessit; atque ibi positis castris, bellum Beneventanis, ni dederentur, comminatus est. Praevenit hoc dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum et Grimoldum cum magna pecunia obviam[c] regi mittens. Rogat, ut filios obsides suscipiat; seque cum gente imperata facturum pollicetur, praeter hoc solum, si ipse ad conspectum venire cogeretur. Rex, utilitate[3] gentis magis[d] quam animi eius obstinatione considerata, et oblatos sibi obsides suscepit eique, ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit. Unoque ex filiis, qui minor erat, obsidatus gratia retento[4], maiorem patri remisit. Legatisque ob sacramenta fidelitatis a Beneventanis exigenda atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam redit. Consumptisque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot[e] diebus, in Galliam revertitur.

XI. Baioaricum deinde bellum et repente ortum et celeri fine completum est; quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitavit. Qui hortatu[f] uxoris[5], quae filia Desiderii regis erat ac[g] patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, iuncto foedere cum Hunis, qui Baioariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere sed bello regem provocare temptabat. Cuius contumaciam, quia nimia videbatur, animositas regis ferre

a. occeani *T.* b. qui *T.* c. *om.* *T.* d. magis magis *P.* e. aliquod *T.* f. ortatu *T.* g. hac *T.*

1. Die 15 Aug. quem comperimus ex epitaphio Eggihardi, quod Dümmlerus edidit in Zeitschrift f. deutsches Alt. N. F. IV p. 279 cf. p. 436, et Gast. Paris in annali Romania II 146—148. *W.* 2. Cf. Suet. Oct. c. 21, supra p. 17 n. 1. 3. commodo. 4. Grimoldo. 5. Liutbergae.

nequiverat; ac proinde copiis undique contractis, Baioariam peti- 787
turus, ipse ad Lechum amnem cum magno venit exercitu — is fluvius Baioarios ab Alamannis dividit — cuius in ripa castris conlocatis, priusquam provinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed nec ille pertinaciter agere vel sibi vel genti utile ratus, supplex se regi permisit; obsides qui imperabantur dedit, inter quos et filium suum Theodonem; data[a] insuper fide[b] cum iuramento: quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti adsentiri[c] deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis inpositus. Tassilo
tamen postmodum ad regem evocatus neque redire permissus, 788
neque provincia, quam tenebat, ulterius duci sed comitibus ad regendum commissa est.

XII. His motibus ita conpositis, Sclavis, qui nostra consuetu- 789
dine Wilzi proprie vero id est sua locutione Welatabi dicuntur, bellum inlatum est. In quo et Saxones velut auxiliatores[d] inter ceteras nationes, quae regis signa iussae sequebantur, quamquam ficta et minus devota oboedientia, militabant. Causa belli erat, quod Abodritos, qui cum Francis olim foederati erant, adsidua incursione lacescebant, nec iussionibus coerceri poterant. Sinus quidam[e] ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertae, latitudinis vero, quae nusquam centum milia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multae circumsedent nationes; Dani siquidem ac Sueones[f], quos Nortmannos vocamus, et septentrionale litus et omnes in eo insulas tenent. At litus australe Sclavi et Aisti et aliae diversae incolunt nationes; inter quos vel praecipui sunt, quibus tunc a rege bellum inferebatur[g], Welatabi[h]. Quos ille una tantum, et quam per se gesserat, expeditione ita contudit[i] ac domuit, ut ulterius imperata facere minime rennuendum iudicarent.

XIII. Maximum omnium, quae ab illo gesta sunt, bellorum
praeter Saxonicum huic bello successit; illud videlicet, quod contra 791
Avares vel Hunos susceptum est. Quod ille et animosius quam

a. dedit *T.* b. fidem *T.* c. adsentire *T.* d. auxiliares *T.* e. quidem *T.* f. Suesones *T.* g. inferebantur *T.* h. Welathabi *T.* i. contulit *T.*

791 cetera et longe maiori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam — nam hanc provinciam ea gens tum incolebat — expeditionem fecit[1]; cetera filio suo Pippino ac praefectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis perficienda commisit. Quod cum ab his strennuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot[a] proelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia et locus, in quo regia Kagani erat, ita desertus, ut ne[b] vestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit; omnis pecunia[c] et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri et argenti in regia repertum, tot spolia praetiosa in proeliis sublata, ut merito credi possit, hoc Francos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius aliis[d] gentibus iniuste eripuerunt. Duo tantum ex proceribus
799 Francorum eo bello perierunt: Ericus[e] dux Foroiulanus in Liburnia iuxta Tharsaticam[f][2], maritimam civitatem, insidiis oppidanorum interceptus[g]; et Geroldus[3] Baioariae praefectus, in Pannonia cum contra Hunos proeliaturus aciem strueret[h], incertum a quo, cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit et prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur.

804 XIV. Post quod et Saxonicum suae prolixitati convenientem finem accepit.

805—808 Boemanicum quoque et Linonicum, quae postea exorta sunt, diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Karoli iunioris[4] celeri fine completum est[5].

a. Quod *T.* b. nec *T.* c. peccunia *T.* d. alius *T.* e. Oelricus *T.* f. Thrarsaticam *T.* g. interceptu *P.* h. instrueret *T.*

1. anno 791. 2. Tersato, a Fiume inter septemtrionem et orientem. 3. frater Hildigardae reginae. 4. Karoli, filii Karoli M., qui obiit d. 4 Dec. 811. 5. Bellum Bohemicum annis 805 et 806 gestum est, Linonicum anno 808.

Ultimum contra Nortmannos qui Dani vocantur, primo pyraticam exercentes deinde maiori[a] classe litora Galliae atque Germaniae vastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godofridus[b] adeo vana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniae promitteret potestatem. Frisiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque suas provincias aestimabat. Iam Abodritos[c], vicinos suos, in suam ditionem redegerat; iam eos sibi vectigales fecerat. Iactabat etiam, se brevi Aquasgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis eius quamvis vanissimis omnino fides abnuebatur; quin potius putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte praeventus. Nam a proprio satellite interfectus[1] et suae vitae et belli a se[d] inchoati finem acce- 810
leravit.

XV. Haec sunt bella, quae rex potentissimus per annos 47 — tot enim annis regnaverat[2] — in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit. Quibus regnum Francorum, quod post patrem Pippinum[e] magnum quidem et forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius quam[f] ea pars Galliae, quae inter Rhenum et Ligerim oceanumque ac mare Balearicum iacet, et pars Germaniae, quae — inter Saxoniam et Danubium Rhenumque[g] ac Salam fluvium, qui Thuringos[h] et Sorabos dividit, posita[i] — a Francis qui orientales dicuntur incolitur, et praeter haec Alamanni atque Baioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primo Aquitaniam et Wasconiam totumque Pyrenei[k] montis iugum et usque ad Hiberum amnem, qui, apud Navarros ortus et fertilissimos Hispaniae agros secans, sub[l] Dertosae civitatis moenibus[m] Balearico mari miscetur; deinde Italiam totam, quae ab Augusta[n] Praetoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum ac Beneventanorum constat esse confinia, decies centum et eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur[3]; tum Saxoniam, quae quidem Germaniae pars non mo-

a. maiore *T.* b. Godefridus *T.* c. Abodricos *T.* d. a se *om.* *T.* e. Pippini *P.* f. qua *P.* g. Hrenumque *T.* h. Thuringo *P*, Turingos *T.* i. postea *T.* k. Pirinei *T.* l. sul *T.* m. moenia *T.* n. angusta *T.*

1. anno 810. 2. Regnavit Carolus a. d. 9 Oct. 768 ad d. 28 Ian. 814 annos 45, menses 3, dies 20. Sed annis 768 et 814 integris annumeratis anni 47 efficiuntur. 3. Haec ex Plinii H. N. III 5, 6 hausit. *W.*

dica est et eius, quae a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis; post quam utramque Pannoniam et adpositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam[a] quoque et Liburniam atque Dalmaciam — exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam et iunctum cum eo foedus Constantinopolitanum imperatorem habere permisit —; deinde omnes barbaras ac feras nationes, quae inter Rhenum[b] ac Visulam fluvios oceanumque[c] ac Danubium positae, lingua quidem pene similes moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Inter quas fere praecipuae sunt Welatabi, Sorabi, Abodriti, Boemani[d]; cum his namque bello conflixit. Ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.

XVI. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis.

Adeo namque Hadefonsum[1] Galleciae[e] atque Asturicae regem sibi societate devinxit, ut is[f], cum ad eum vel litteras vel legatos mitteret, non aliter se apud illum quam proprium suum appellari iuberet.

Scottorum[g] quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum numquam aliter nisi dominum seque subditos[h] et servos eius pronuntiarent. Extant epistolae ab eis ad illum missae, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur.

Cum Aaron[2] rege Persarum, qui excepta India totum pene tenebat orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is[i] gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitiae praeponeret solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret. Ac proinde, cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum domini ac salvatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quae petebantur

a. historiam *P*, Histriam *T*. b. Renum *T*. c. oceanum *T*. d. Boemanni *T*. e. Gallitiae *T*. f. his *corr. in* is *T*. g. Scotorum *T*. h. subditus *T*. i. his *T*.

1. I 791—842. 2. Harun Arraschid chalifo, 786—809 Mart. 23.

fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit[a]; et revertentibus legatis suos adiungens, inter vestes et aromata et ceteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona direxit; cum ei ante paucos annos eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elefantum[1].

Imperatores etiam Constantinopolitani Niciforus[2] Michahel[b 3] et Leo[4], ultro amicitiam et[c] societatem eius expetentes, conplures[d] ad eum misere legatos. Cum quibus — tamen propter susceptum a se imperatoris nomen et ob hoc[e], quasi qui imperium eis eripere vellet, valde suspectum — foedus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Grecis Francorum suspecta potentia; unde et illud Grecum extat proverbium: *ΤΟΝ ΦΡΑΝΚΟΝ ΦΙΛΟΝ ΕΧΙϹ, ΓΙΤΟΝΑ[f] ΟΥΚ ΕΧΙϹ.*

XVII. Qui cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existeret et in eiusmodi occupationibus assidue versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem et commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quaedam etiam consummavit. Inter quae praecipua[g] non inmerito videri possunt basilica sanctae Dei genitricis Mariae[h] Aquisgrani[i] opere mirabili constructa et pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis[k]; nam tanta est ibi fluminis latitudo. Qui 813
tamen uno antequam decederet[l] anno incendio conflagravit[5]; nec[m] refici potuit propter festinatum illius decessum; quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit et palatia operis egregii: unum haud longe a Mogontiaco civitate iuxta villam cui[n] vocabulum est Ingilenheim[o]; alterum Noviomagi super Vahalem fluvium, qui Batavorum insulam a parte meridiana praeterfluit. Praecipue tamen aedes sacras[6], ubicumque in toto regno suo vetustate conlapsas comperit, pontificibus[p] et patribus,

a. non cessit *P.* b. Michael *T.* c. ac *T.* d. cum plures *T.* e. *sequitur rasura in T.* f. TITONA *T.* g. fere *add. T.* h. *om. P.* i. Aquis *T.* k. longitudini *P.* l. deteret *T.* m. nam *P.* n. cuius *T.* o. Engilenheim *T.* p. pontifici *P.*

1. qui Aquisgranum pervenit d. 20 Iulii a. 802. 2. 802—811. 3. I 811—813. 4. V 813—820. 5. m. Maio a. 813. 6. V. Suet. Oct. c. 30, supra p. 18 n. 2.

ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit; adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent.

Molitus est et classem contra bellum Nordmannicum[a], aedificatis ad hoc navibus iuxta flumina, quae et de Gallia et de Germania septemtrionalem influunt oceanum. Et quia Nordmanni[b] Gallicum litus atque Germanicum assidua infestatione[c] vastabant, per omnes portus et ostia[d] fluminum, qua[e] naves recipi posse videbantur, stationibus et excubiis dispositis, ne qua hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Fecit idem a parte meridiana in litore[f] provinciae Narbonensis ac Septimaniae, toto etiam Italiae litore usque Romam contra Mauros, nuper pyraticam exercere adgressos[g]. Ac per hoc nullo gravi damno vel a Mauris Italia, vel Gallia atque Germania a Nordmannis[h] diebus suis adfecta est; praeter quod Centumcellae[1] civitas Etruriae per proditionem a Mauris capta atque vastata est, et in Frisia quaedam insulae Germanico litori[i] contiguae a Nordmannis[h] depraedatae sunt.

XVIII. Talem eum in tuendo et ampliando simulque ornando regno fuisse constat[k]. Cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu[l] constantiam ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar[2].

768—771 Post mortem patris cum fratre[3] regnum partitus, tanta pacientia[m] simultates et invidiam eius tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuisset.

770 Deinde cum matris hortatu filiam[4] Desiderii regis Langobardorum duxisset uxorem, incertum qua de causa, post annum eam
771 repudiavit. Et Hildigardam[n], de gente Suavorum[o] praecipuae nobilitatis feminam[5], in matrimonium accepit; de qua tres filios, Karolum[6] videlicet et Pippinum[7] et Hludoicum[p] [8], totidemque

a. Nordmannicū *corr. in* Nortmannicum *P*, Nordomannicum *T*. b. Nortmanni. c. infestinatione *P*. d. hostia *T*. e. qui *T*. f. littore *T*. g. adgressus *T*. h. Nordomannis *T*. i. littori *T*. k. prestat *T*. l. *alio atramento additum est* mirari licet *in T*. m. sapientia *T*. n. Hildegardem *T*. o. Suahorū *P*. p. Ludowicum *T*.

1. Città Vecchia. 2. Cf. Suet. Oct. c. 61, supra p. 17 n. 1. 3. Carlomanno. 4. Desideratam. 5. quae obiit d. 30 Apr. 783. 6. qui obiit d. 4. Dec. 811. 7. qui post d. 8 Iulii 777 natus (v. Bibl. IV p. 198 n. 5, [ubi per errorem positus d. 6 Iulii corrigendus est]) Italiaeque rex factus a. 781, obiit d. 8. Iul. 810. 8. postea imperatorem.

filias, Hrotrudem[a] [1] et Berhtam[b] et Gislam, genuit. Habuit et alias tres filias, Theoderadam[2] et Hiltrudem et Hruodhaidem[c]; duas de Fastrada uxore, quae de orientalium Francorum, Germanorum videlicet, gente erat; tertiam de concubina quadam, cuius nomen modo memoriae non occurrit. Defuncta[3] Fastrada, Liut- 794
gardam[d] [4] Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cuius mortem quattuor[e] habuit concubinas: Madelgardam[f] scilicet, 800
quae peperit ei filiam nomine Ruothildem[5]; Gersuindam Saxonici generis, de qua illi[g] filia nomine[h] Adalthrud[i] nata est; et Reginam, quae ei Drogonem[6] et Hugum[7] genuit; et Adallindem, ex qua Theodericum[k] procreavit.

Mater quoque eius Berthrada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reverentia[l], ita ut nulla umquam invicem sit exorta discordia, praeter in divortio filiae Desiderii regis, quam illa suadente acceperat. Decessitque[m] [8] 783
tandem post mortem Hildigardae[n], cum iam tres nepotes suos totidemque neptes in filii domo vidisset. Quam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud Sanctum Dionisium magno cum honore fecit humari.

Erat ei unica soror nomine Gisla, a puellaribus annis religiosae conversationi mancipata; quam similiter ut matrem magna

a. Hruodrudem *T.* b. Bertham *T.* c. Ruodhaidem *T.* d. Liudgardam *T.* e. Post mortem eius tres *T.* f. Madelgardam — Ruothildem *om. T.* g. ei *T.* h. nomen *T.* i. Adaltrud *T.* k. Theodricum *T.* l. reuentia *T.* m. Decessit *T.* n. Hildegarde *T.*

1. quae obiit d. 6 Iunii 810. 2. postea abbatissam Argentogilensem, v. Epistol. Carolin. 46 Bibl. IV p. 429. 3. anno 794 [d. 10. Aug. test. Ann. Guelferb. et Fuld. antiquis. *W.*]. 4. quae obiit d. 4 Iunii 800. 5. postea abbatissam Farae coenobii (dioec. Meldensis). V. Lotharii imp. diploma, spatio annorum 840—855 datum: „dilecta amita nostra Rothildis, venerabilis abbatissa ex Farae monasterio" (Mabillon Annales ord. Bened. II 745). In necrologio Farensi obitus eius ad d. 24 Mart. sic est notatus: „commemoratio domnae Rothildis abbatissae huius loci (v. Mabillon l. l. p. 625). [Addit Dümmlerus, in necrologio S. Germani Prat. (ed. Bouillart p. CXI) legi: „11 Kal. Apr. Depositio Rothildis abbatissae et monachae filiae regis magni Karoli."] 6. postea episcopum Mettensem, 823—855 Dec. 8. 7. postea abbatem S. Quintini et Laubiensem et Sithiensem, qui obiit d. 14 Iunii 844. V. Dümmler Geschichte des ostfränk. Reichs I 235 n. 21. 8. d. 12 Iul. 783.

coluit pietate. Quae etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est, monasterio[1] decessit.

XIX. Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filii quam filiae primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios, cum primum aetas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exerceri fecit; filias vero lanificio adsuesere[2], coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam inpendere atque ad omnem honestatem erudiri iussit.

Ex his omnibus duos tantum filios et unam filiam, priusquam moreretur, amisit: Karolum, qui natu maior erat[3] et Pippinum, quem regem Italiae praefecerat[4]; et Hruodthrudem[a] [5], quae filiarum eius primogenita et a Constantino[6] Grecorum imperatore desponsata erat[7]. Quorum Pippinus unum filium suum Bernhardum, filias autem quinque: Adalhaidem, Atulam, Gundradam[b], Berthaidem ac Theoderadam superstites reliquit. In quibus rex pietatis
810 suae praecipuum documentum ostendit; cum, filio defuncto, nepo-
813 tem[8] patri succedere et neptes[c] inter filias suas educari fecisset.

Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua[d] excellebat, minus[e] patienter[9] tulit, pietate videlicet, qua non minus[f] insignis[g] erat, conpulsus ad lacrimas. Nuntiato etiam sibi Hadriani[h] Ro-
796 mani pontificis[10] obitu, quem in amicis praecipuum habebat, sic flevit, acsi[i] fratrem aut karissimum filium amisisset. Erat enim in amicitiis optime temperatus, ut eas et facile admitteret et constantissime retineret[11]; colebatque sanctissime, quoscumque hac adfinitate sibi coniunxerat.

Filiorum ac filiarum tantam[k] in educando curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis caenaret, numquam iter sine illis faceret[l]. Adequitabant ei filii. Filiae vero pone sequeban-

a. Hruodrudē *T.* b. Gontradam *T.* c. nectes *P.* d. quae *P.* e. nimis *T.* f. minor *T.* g. *om.* *T.* h. Adriani *T.* i. ut filium aut si fratrem amisisset carissimum *T.* k. tantum *T.* l. ageret *T.*

1. Cala dioec. Parisiensis. 2. Cf. Suet. Oct. c. 64, supra p. 18 n. 2. 3. V. supra p. 40 n. 6. 4. V. supra p. 40 n. 7. 5. V. supra p. 41 n. 1. 6. V 780—802. 7. anno 781. V. Annales Mosellani 781, Mon. Germ. SS. XVI 497. 8. Bernhardum regem Italiae 813—817. 9. Cf. Suet. Oct. c. 65 supra p. 18 n. 1. 10. qui obiit d. 25 Dec. 795 11. Cf. Suet. Oct. c. 66 supra p. 18 n. 1.

tur[1]; quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur.

Quae cum pulcherrimae essent et ab eo plurimum diligerentur, mirum dictu quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit[a]; dicens, se earum contubernio carere non posse. Ac[b] propter hoc, licet alias felix, adversae fortunae malignitatem expertus est[2]. Quod tamen ita dissimulavit, acsi de eis nulla umquam alicuius probri suspitio exorta vel fama dispersa fuisset.

XX. Erat ei filius nomine Pippinus ex concubina[3] editus — cuius inter ceteros mentionem facere distuli — facie quidem pulcher sed gibbo deformis. Is, cum pater bello[c] contra Hunos suscepto[d] in Baioaria hiemaret, aegritudine simulata, cum quibus- 792
dam e primoribus Francorum, qui eum vana regni promissione inlexerant, adversus patrem coniuravit. Quem post fraudem detectam et coniuratorum damnationem detonsum in coenobio[e] Prumia religiosae vitae, iamque volentem, vacare permisit.

Facta est et alia prius contra eum in Germania valida con- 785—786
iuratio. Cuius auctores, partim luminibus orbati partim membris incolomes[f], omnes tamen exilio deportati sunt. Neque ullus ex eis est interfectus, nisi tres tantum; qui, cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent aliquos etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt.

Harum tamen coniurationum Fastradae reginae crudelitas causa et origo extitisse creditur. Et idcirco in ambabus contra regem conspiratum est, quia, uxoris crudelitati consentiens, a suae naturae benignitate ac solita mansuetudine inmaniter exorbitasse

a. retenuit *P.* b. Ac propter — dispersa fuisset *om. P.* c. bellum *T.* d. suscepit *T.* e. coenubio *P.* f. incolumes *T.*

1. Cf. Suet. Oct. c. 64 supra p. 18 n. 2. 2. Hrotrudis enim Karoli filia peperit Hludovicum, postea abbatem S. Dionysii Parisiensem, qui obiit a. 867 (v. Hincmari Remensis annales 867, Mon. Germ. SS. I 474); ex Berthaque genuit Angilbertus Hartnidum et Nithardum (v. Nithardi Hist. IV 5, Mon. Germ. SS. II 671). 3. Himiltruda. V. Annales Laurissenses minores (Mon. Germ. SS. I 119) et Pauli diaconi Gesta epp. Mett. (ibid. II 265).

videbatur. Ceterum per omne vitae suae tempus ita cum summo omnium amore atque favore et domi et foris conversatus est, ut numquam ei vel minima iniustae severitatis[g] nota a quoquam fuisset obiecta.

XXI. Amabat peregrinos et in eis suscipiendis magnam habebat curam, adeo ut[b] eorum multitudo non solum palatio verum etiam regno non inmerito videretur onerosa. Ipse tamen prae magnitudine animi huiuscemodi pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonae famae mercede compensaret.

XXII. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam[c] non excederet[1] — nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram — apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem[d] excedenti, canitie pulchra[e], facie laeta et hilari; unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur[2]. Quamquam cervix obesa et brevior venterque proiectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas[3]. Incessu firmo totaque corporis habitudine virili; voce clara quidem, sed quae minus corporis formae conveniret. Valitudine prospera; praeter quod, antequam decederet, per quattuor[f] annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam uno pede claudicaret[4]. Et tunc quidem plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat; quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere et elixis adsuescere suadebant.

Exercebatur assidue equitando[5] ac venando. Quod illi[g] gentilitium erat; quia vix ulla in terris natio invenitur, quae in hac arte Francis possit aequari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens; cuius adeo

a. crudelitatis *T.* b. plerumque *add. T.* c. iustum non excederet modum *P.* d. inmediocritatem *T.* e pul dira *T.* f. quatuor *T.* g. ei *T.*

1. Cf. Suet. Tib. c. 68, supra p. 18 n. 1. 2. Cf. Suet. Claud. c. 30, supra p. 19. n. 1. 3. Cf. Suet. Ner. c. 51 et Oct. c. 79 supra p. 19 n. 1. 4. Cf. Suet. Claud. c. 31 et Oct. c. 80 supra p. 19 n. 1. 5. Cf. Suet. Tit. 3, supra p. 18 n. 2.

peritus fuit, ut nullus ei iuste valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit, ibique extremis vitae annis usque ad obitum perpetim habitavit. Et non solum filios ad balneum verum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnumquam centum vel eo amplius homines una lavarentur[1].

XXIII. Vestitu patrio, id est Francico[a] utebatur[2]. Ad corpus camisam lineam. Et feminalibus lineis induebatur[3]. Deinde tunicam, quae limbo serico ambiebatur; et tibialia. Tunc[b] fasciolis crura et pedes calciamentis constringebat. Et ex pellibus lutrinis et murinis[c] thorace confecto humeros[d] ac pectus hieme muniebat. Sago veneto amictus; et gladio semper accinctus, cuius capulus ac balteus aut aureus aut argenteus erat. Aliquoties et gemmato ense utebatur; quod tamen non nisi in praecipuis festivitatibus vel si quando exterarum gentium legati venissent. Peregrina vero indumenta quamvis pulcherrima respuebat. Nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Romae semel, Hadriano[e] pontifice petente, et iterum, Leone successore eius supplicante, longa tunica et chlamide[f] amictus, calceis quoque Romano more[g] formatis induebatur. In festivitatibus veste auro texta, et calciamentis gemmatis, et fibula aurea sagum adstringente, diademate quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac[h] plebeio abhorrebat[i].

XXIV. In cibo et potu temperans, sed in potu temperantior[4]; quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur[k]. Cibo enim non adeo abstinere poterat; ut saepe quereretur, noxia corpori suo esse ieiunia. Convivabatur rarissime[5], et hoc praecipuis tantum festivitatibus; tunc tamen cum magno hominum numero. Caena cotidiana quaternis

a. francisco *T.* b. cum *T.* c. et murinis *om. P.* d. umeros *P.* e. Adriano *T.* f. clamide *T.* g. opere *T.* h. et *T.* i. abhorebat *P.* k. abhominabatur *T.*

1. Huc afferri solet Suet. Tit. c. 8, sed cf. supra p. 17 n. 2. 2. Cf. Suet. Calig. c. 52 supra p. 18 n. 1. 3. Cf. Suet. Oct. c. 82, supra p. 18, n. 2. 4. Cf. Suet. Oct. c. 76, supra p. 18, n. 2. 5. Cf. Suet. Oct. c. 74, supra p. 18, n. 1.

tantum ferculis praebebatur[1], praeter assam, quam venatores veribus inferre solebant; qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter caenandum aut aliquod acroama[2] aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris sancti Augustini; praecipueque his, qui[a] *De civitate Dei* praetitulati sunt. Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet[3].

Aestate post cibum meridianum — pomorum aliquid sumens ac semel bibens — depositis vestibus et calciamentis, velut[b] noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat[4]. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies non solum expergescendo[c] sed etiam desurgendo[d] interrumperet[5].

Cum calciaretur aut amiciretur[e], non tantum amicos admittebat[f] verum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret quae sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit et, velut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dixit[6]. Nec hoc tantum eo tempore sed etiam, quicquid ea die cuiuslibet officii agendum aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat.

XXV. Erat eloquentia copiosus et exuberans[7]; poteratque, quicquid vellet, apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus[g], etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare[8] sit solitus; Grecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus[h] appareret[9].

a. quae *T.* b. ut *T.* c. *corr. in* expergiscendo *T.* d. deresurgendo *T.* e. amiceretur *T.* f. amittebat *P.* g. contemptus *T.* h. didasculus *T.*

1 Cf. Suet. Oct. c. 74, v. supra p. 17 n. 2. 2. Cf. Suet. Oct. l. l., supra p. 18, n. 2. 3. Cf. Suet. Oct. c. 77, supra p. 18, n. 2. 4. Cf. Suet. Oct. c. 74, supra p. 18, n. 1. 5. Cf. Suet. Oct. c. 78 supra p. 19, n. 6. Cf. Suet. Vespas. c. 21, supra p. 19, n. 7. Cf. Suet. Oct. c. 84, supra p. 19, n. 8. Cf. Suet. Tit. c. 3, supra p. 17, n. 2. 9. Monet Dümmlerus, codicis Parisiensis lectionem confirmari loco grammatici cuiusdam, quem H. Hagen edidit Anecd. Helvet. p. 187: „Nam et Einhardus in vita Karli imperatoris eundem Karlum dixit fuisse dicaculum.“ *W.*

Artes liberales studiosissime coluit[1]; earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat[a] honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem[b] senem audivit. In ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Brittania Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit; apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris inpertivit. Discebat artem computandi; et intentione sagaci siderum cursum[c] curiosissime rimabatur. Temptabat et[d] scribere; tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis[e] adsuesceret. Sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

XXVI. Religionem christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime[f] et cum summa pietate coluit. Ac propter[g] hoc plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani[h] exstruxit auroque et argento et luminaribus atque ex aere solido cancellis et ianuis adornavit. Ad cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit[2]. Ecclesiam et mane et vespere item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum valitudo permiserat, impigre frequentabat. Curabatque magnopere, ut omnia, quae in ea gerebantur, cum quam[i] maxima fierent honestate; aedituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro et argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne[k] ianitoribus[3] quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt[4], privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim

a. efficiebat *P*, adficiebat *T*. b. diaconum *T*. c. cursus *T*. d. eta *corr. in* a *P*. e. *sic P.*, effingendis *corr. in* effigendis *T*. f. sanctissima *T*. g. propter *corr. in* preter *P*. h. Aquisgranis *T*. i. qua *corr. in* qua *P.*, qua *T*. k. nec *T*.

1. Cf. Suet. Tib. c. 70, supra p. 19, n. 1. 2. Cf. Hadriani I papae ad Carolum ep. (Cod. Carol. n. 89) Bibl. IV p. 268. 3. ostiariis. 4. minores enim ordines ecclesiastici sunt acoluthorum, exorcistarum, lectorum, ostiariorum.

utriusque admodum eruditus; quamquam ipse nec publice legeret nec nisi submissim[a] et in commune cantaret.

XXVII. Circa pauperes sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Greci elemosinam vocant, devotissimus; ut qui non in patria solum et in suo regno id facere curaverit, verum trans maria in Syriam et Aegyptum atque Africam — Hierosolimis Alexandriae atque Kartagini[b], ubi christianos in paupertate vivere compererat[c], penuriae illorum compatiens — pecuniam mittere solebat; ob hoc maxime transmarinorum regum amicitias expetens, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio[d] proveniret.

Colebat prae ceteris sacris et venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli; in cuius donaria magna vis pecuniae tam in auro quam in argento nec non et gemmis ab illo congesta est. Multa et innumera pontificibus munera missa. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit[e] antiquius[f], quam ut urbs Roma sua opera suoque labore vetere polleret auctoritate[1], et ecclesia sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa sed etiam suis opibus prae omnibus ecclesiis[g] esset ornata[h] atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra 47 annorum quibus regnaverat[2] spatium quater[3] tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est.

800 XXVIII. Ultimi adventus sui non solum hae fuere causae, verum etiam quod Romani Leonem pontificem, multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis im-
Nov. 24 plorare compulerunt. Idcireo Romam veniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiae statum ibi totum hiemis
Dec. 25 tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit. Quod primo in tantum aversatus est, ut adfirmaret, se eo die, quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum si pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen sus-

a. submisse *T.* b. Chartani *T.* c. comperierat *T.* d. revelatio *P, T.* e. dixit *T.* f. antiquus *P.* g. aliis *T.* h. ordinata *T.*

1. Cf. Suet. Vespas. c. 8, supra p. 18 n. 2. V. supra p. 37 n. 2. 3. annis 774, 781, 787, 800.

cepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit pacientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos[a] appellando[b] [1].

XXIX. Post susceptum imperiale nomen cum adverteret, multa legibus populi sui deesse — nam Franci duas habent leges[2] in plurimis locis valde diversas — cogitavit, quae deerant addere et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea inperfecta, legibus addidit[3]. Omnium tamen nationum, quae sub eius dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describere ac litteris mandari fecit.

Item barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit memoriaeque mandavit. Inchoavit et grammaticam patrii sermonis.

Mensibus etiam iuxta propriam linguam vocabula inposuit; cum ante id temporis apud Francos partim Latinis partim barbaris nominibus pronuntiarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus insignivit; cum prius non amplius quam vix quattuor[c] ventorum vocabula possent inveniri. Et de mensibus quidem Ianuarium uuintarmanoth, Februarium hornung[d], Martium lentzinmanoth, Aprilem ostarmanoth, Maium uuinnemanoth[e], Iunium brachmanoth, Iulium heuuimanoth, Augustum aranmanoth, Septembrem uuitumanoth, Octobrem[f] uuindumemanoth, Novembrem herbistmanoth, Decembrem heilagmanoth appellavit. Ventis vero[g] hoc modo nomina inposuit, ut subsolanum vocaret ostroniwint, eurum ostsundroni, euroaustrum sundostroni[h], austrum sundroni[i], austroafricum sundwestroni[k], Africum uuestsundroni, zefyrum [l]

a. ad eos *T.* b. apellando *P.* c. quatuor *T.* d. hornug *P*, *T.* e. iuuinnemanoth *P.* f. octembrem *P.* g. ergo *T.* h. suntostroni *T.* i. sumdroni *T.* k. suntwestroni *T.* l. zephyrom *T.*

1. In Caroli ad Nicephorum epistola a. 811 scripta sic est: „legatum fraternitatis tuae“ et „legatos nostros praeparavimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos“, annoque 813 Carolus scripsit „dilecto et honorabili fratri Michaeli glorioso imperatori“. V. Epistolae Carolinae 29 et 40 Bibl. IV p. 393 et 415. 2. Salicam et Ribuariam. 3. Cf. Boretius Die Capitularien im Langobardenreich p. 71 sq.

uuestroni, chorum uuestnordroni, circium nordwestroni[a], septemtrionem nordroni, aquilonem nordostroni[b], vulturnum ostnordroni[c] [1].

813 XXX. Extremo vitae tempore, cum iam et morbo et senectute premeretur, evocatum ad se Hludoicum[d] filium Aquitaniae regem — qui solus filiorum Hildigardae[e] supererat — congregatis solemniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit, inpositoque capiti eius diademate, imperatorem et augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore; nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum. Auxitque maiestatem eius hoc factum et exteris nationibus non minimum terroris incussit.

Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamvis senectute confectus, non longe a regia Aquensi venatum proficiscitur, exactoque in huiuscemodi negotio quod reliquum erat
c. Nov. 1 autumni, circa Kalendas Novembris Aquasgrani[f] revertitur.

814 Ian. 22 Cumque ibi hiemaret, mense Ianuario febre valida correptus decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus, hac continentia morbum posse depelli vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore[g], quem Greci pleuresin dicunt, illoque adhuc inediam retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit[2] die, sacra communione percepta, decessit anno aetatis suae septuagesimo secundo, et ex quo regnare coeperat quadragesimo septimo, 5. Kalendas Februarii, hora diei tertia.

a. nordwestroni *T.* b. nordostroni *T.* c. ostnordroni *T.* d. Hludwicum *T.* e. Hildegarde *T.* f. Aquisgrani *T.* g. dolorem *T.*

1. In codice S. Galli 272 membr. p. 26 leguntur haec manu saeculi IX scripta: „NOMINA MENSIUM SECUNDUM THODISCAM: Ian. uuintar manoht, Febr. hornung, Mart. lengizin manoht, Apr. ostar manoth, Mai. uunni manoht, Iun. bracmanoht, Iul. heuui manoht, Aug. aran manoht, Sept. uuitu manoht, Oct. uuindun manoht, Nov. herivist manoht, Dec. heilagmanoht. NOMINA VENTORUM: Subsolanus ostroni uuint, eurus ost sundroni, euroauster sunt ostroni, auster sundroni, austerafricus sund westroni Africus uuest sundroni, zepphirus uuest troni, chorus uuest nordroni, circius nort uuestroni, septentrio nordroni, aquilo nort ostroni, wulturnus ost nordroni“. 2. decubuit igitur die 22. Ianuarii 814.

XXXI. Corpus more solemni lotum et curatum et maximo totius populi luctu ecclesiae inlatum atque humatum est. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus de hoc nihil praecepisset[a]. Tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestius tumulari posse quam in ea basilica, quam ipse propter amorem dei et domini nostri Iesu Christi et ob honorem sanctae et aeternae virginis genetricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem die, qua[b] defunctus est. Arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo exstructus.

Titulus ille hoc modo descriptus est: *Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos XLVII feliciter rexit. Decessit septuagenarius anno*[c] *Domini DCCCXIIII, indictione VII, V Kal. Febr.*[1].

XXXII. Adpropinquantis finis conplura fuere prodigia[d], ut non solum alii sed etiam ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos vitaeque termino proximos annos[2] et solis et lunae creberrima defectio; et in sole macula quaedam atri coloris septem dierum spatio visa[3]. Porticus, quam inter basilicam et regiam operosa mole construxerat, die ascensionis Domini[4] subita ruina

a. praecipisset *T*. b. et *add. P*. c. anno Domini 814 inditione 7 *T*; *pro quo in P nihil est nisi*: anno indictionis septimo. d. praesagia *T*.

1. In membranaceo saec. IX codice bibliothecae regiae Monacensis lat. 14641 (S. Emmerammi 641) manu Anglosaxonica scripta haec sunt:

„Epitaphium Caroli: Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni et orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos 46 feliciter rexit. Decessit septuagenarius 5 Kal. Febr.“

Manus vero saec. X. in membranaceo codice bibliothecae Caesareae Vindobonensis 969 (Theol. 354) f. 556 posuit haec:

„EPITAPHIUM KAROLI: Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni et orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos 46 feliciter rexit“.

„INFRA CAPELLA SCRIPTUM: Insignem hanc dignitatis aulam Karolus caesar magnus instituit; egregius Odo magister explevit, Metensi fotus in urbe quiescit“.

2. immo annis 810, 812, 813. 3. anno 807. V. Annales in Mon. Germ. SS. I 194. 4. an anno 813 (Mai. 5)?

usque ad fundamenta conlapsa[a]. Item pons Rheni[b] apud Mogontiacum[c], quem ipse per decem annos ingenti labore et opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter[d] durare posse videretur, ita tribus horis fortuito[e] incendio conflagravit[1], ut, praeter quod aqua tegebatur, ne una quidem astula[f] ex eo remaneret. Ipse
810 quoque, cum ultimam in Saxonia[g] expeditionem contra Godofridum regem Danorum ageret, quadam die, cum ante exortum solis castris egressus iter agere coepisset, vidit repente delapsam caelitus cum ingenti lumine facem a dextra in sinistram per serenum aera transcurrere. Cunctisque[h] hoc signum quid[i] portenderet ammirantibus, subito equus, quem sedebat, capite deorsum merso decidit eumque tam graviter ad terram elisit, ut, fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato, a festinantibus qui aderant ministris exarmatus et sine amiculo[k] levaretur. Iaculum etiam, quod[l] tunc forte manu[m] tenebat, ita elapsum est, ut viginti vel eo amplius pedum spatio longe iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis[n] palatii tremor et in domibus, ubi conversabatur, assiduus laqueariorum crepitus. Tacta etiam de caelo, in qua postea sepultus est, basilica; malumque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum et supra domum pontificis, quae basilicae contigua erat, proiectum est. Erat in eadem[o] basilica in margine coronae, quae inter superiores et inferiores arcus[p] interiorem aedis partem ambiebat, epigramma Sinopide scriptum, continens[q], quis auctor esset eiusdem templi; cuius in extremo versu legebatur: *Karolus princeps.* Notatum est a quibusdam, eodem quo decessit anno paucis ante mortem mensibus eas, quae *princeps* exprimebant[r], litteras ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulavit aut sprevit, acsi nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret.

XXXIII. Testamenta facere[2] instituit, quibus[s] filias et ex concubinis liberos[s] ex aliqua parte sibi heredes faceret; sed tarde

a. conlappa *P.* b. Hreni *T.* c. Magontiacum *T.* d. perhenniter *T.* e. fortuitu *T.* f. hastula *T.* g. Saxoniam *T.* h. cunctusque *P.* i. quod *T.* k. exarmatus non sine amminiculo *T.* l. quem *T.* m. manum *T.* n. Aquiensis *T.* o. eodem *T.* p. artus *T.* q. constinens *P.* r. *corr. in* exprimebat *T.* s. quibus ex concubinis filias et liberos *T.*

1. m. Maio a. 813. 2. Cf. Suet. Oct. c. 101, supra p. 17 n. 1.

inchoata perfici non poterant. Divisionem tamen thesaurorum et pecuniae ac vestium aliaeque supellectilis[a] coram amicis et ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit; contestatus 811
eos, ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret. Quidque ex his, quae diviserat, fieri vellet, breviario comprehendit. Cuius ratio ac textus talis est:

„IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Descriptio atque divisio, quae facta est a gloriosissimo atque piissimo domno Karolo imperatore augusto anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 811, anno vero regni eius in Francia 43 et in Italia 36[1] imperii autem 11 indictione[b] 4; quam pia et prudenti consideratione facere decrevit et Domino annuente perfecit de thesauris suis atque pecunia[c], quae in illa die in camera eius inventa est. In qua illud praecipue praecavere voluit: ut non solum eleimosinarum[d] largitio, quae sollemniter apud christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur; sed etiam ut heredes sui omni ambiguitate remota quid ad se pertinere deberet liquido cognoscere, et sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere potuissent".

„Hac igitur intentione atque proposito omnem substantiam atque supellectilem[e] suam, quae in auro et argento gemmisque et ornatu regio in illa ut dictum est die in camera eius poterat inveniri, primo quidem trina divisione partitus est. Deinde, easdem partes subdividendo, de duabus partibus viginti et unam partem fecit, tertiam integram reservavit".

„Et duarum quidem partium in viginti et unam partem facta divisio tali ratione consistit: ut, quia in regno illius metropolitanae civitates viginti et una esse noscuntur, una quaeque illarum partium ad unam quamque metropolim per manus heredum et amicorum suorum elemosinae nomine perveniat; et archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiae rector exstiterit, partem quae ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur; eo

a. supellectulis *T.* b. inditione *T.* c. pecunia *T.* d. elemosinarum *T.* e. suppellectilem *P.*

1. imo 37.

811 scilicet modo, ut pars tertia suae sit ecclesiae, duae vero partes inter suffraganeos dividantur".

„Harum divisionum, quae ex duabus primis partibus factae sunt et iuxta metropoleorum civitatum numerum viginti et una esse noscuntur, una quaeque, ab altera sequestrata, semotim in suo repositorio cum superscriptione civitatis, ad quam perferenda est, recondita iacet. Nomina metropoleorum, ad quas eadem elemosina sive largitio facienda est, haec sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Iuvavum quae et Saltzburc[a], Treveri[b], Senones, Vesontio[c], Lugdunum, Ratumagus[d], Remi[e], Arelas[f], Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges".

„Unius autem partis, quam integram reservari voluit, talis est ratio: ut — illis duabus in supradictas divisiones distributis et sub sigillo reconditis — haec tertia in usu quotidiano versaretur, velut res, quam nulla voti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret; et hoc tam diu, quoad usque vel ille mansisset in corpore vel usum eius sibi necessarium iudicaret. Post obitum vero suum aut voluntariam saecularium rerum carentiam eadem pars quattuor subdivisionibus secaretur. Et una quidem earum supradictis viginti et unae partibus adderetur; altera, a filiis ac filiabus suis filiisque ac filiabus filiorum suorum assumpta, iusta et rationabili inter eos partitione divideretur; tertia vero consueto christianis more in usum pauperum fuisset erogata; quarta simili modo nomine eleimosinae in servorum et ancillarum, usibus palatii famulantium, sustentationem distributa veniret".

„Ad hanc tertiam totius summae portionem, quae similiter ut ceterae ex auro et argento constat, adiungi voluit omnia ex aere et ferro aliisque metallis vasa atque utensilia, cum armis et vestibus, alioque aut pretioso aut vili ad varios usus facto supellectili; ut sunt cortinae[1], stragula, tapetia, filtra[2], coria, sagmata,
811 et quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inven-

a. Salzbur *T.* b. Treveris *T.* c. *corr. in* Vesontium *T.* d. Rotamagus *T.* e. Remis *T.* f. Arales *P.*

1. aulaea. 2. coactilia.

tum; ut ex hoc maiores illius partis divisiones fierent et erogatio 811
eleimosinae ad plures pervenire potuisset".

„Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregavit quam quod ad eum ex paterna hereditate pervenit, ut integrum esset neque ulla divisione scinderetur, ordinavit".

„Si qua autem invenirentur aut vasa aut libri aut alia ornamenta, quae liquido constaret eidem capellae ab eo conlata non fuisse, haec qui habere vellet, dato iustae aestimationis pretio, emeret et haberet. Similiter et de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit: ut ab his, qui eos habere vellent, iusto pretio fuissent redempti, pretiumque in pauperibus erogatum".

„Inter ceteros thesauros atque pecuniam[a] tres mensas argenteas et auream unam praecipuae magnitudinis et ponderis esse constat. De quibus statuit atque decrevit: ut una ex his, quae, forma quadrangula, descriptionem urbis Constantinopolitanae continet, inter cetera donaria, quae ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati[b] Petri apostoli deferatur; et altera, quae, forma rotunda, Romanae urbis effigie figurata[c] est, episcopio Ravennatis ecclesiae conferatur. Tertiam, quae ceteris et operis pulchritudine et ponderis gravitate multum excellit, quae ex tribus orbibus conexa[d] totius mundi descriptionem[e] subtili[f] ac minuta figuratione conplectitur, et auream[g] illam, quae quarta esse dicta est[h], in[i] tertiae illius — et inter heredes suos atque in eleimosinam[k] dividendae — partis augmento[l] esse constituit.

„Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis abbatibus comitibusque, qui tunc praesentes esse potuerunt, quorumque hic nomina descripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi: Hildibaldus[m 1], Richolfus[n 2], Arno[o 3], Wolpharius[p 4], Ber-

a. peccunias *T*. b. ad beati *T*. c. decorata *T*. d. descripta *T*, *ubi manus corrigens superscripsit*: ł conexa. e. descriptione *P*. f. suptili *P*. g. auream *erasum est in T*. h. scilicet auream *add. T*, i. in tertiae illius — et *om. T*. k. elemosine *T*. l. augmentum *T*. m. Hildebaldus *T*. n. Ricolfus *T*. o. *in P lacuna est pro* Arno. p. Wolfarius *T*.

1. Coloniensis 784—819. 2. Moguntinus 786—813. 3. Salzburgensis 785—821. 4. Remensis 795—816.

811 noinus[a 1], Laidradus[2], Iohannes[3], Theodolfus[b 4], Iesse[5], Heito[6], Waltgaudus[7]. Abbates: Fridugisus[c 8], Adalungus[d 9], Engilbertus[e 10], Irmino[11]. Comites: Walath[f 12], Meginheri[g], Otolfus[h], Stephanus, Unruocus[i], Burchardus, Meginhardus[k], Hatto, Rihwinus[l], Edo, Ercangarius, Geroldus, Bero, Hildigernus[m], Hroccolfus[n]".

814 Haec omnia[o] filius eius Hluduicus, qui divina ei iussione successit, inspecto eodem breviario, quam celerrime poterat, post obitum eius summa cum devotione adimplere curavit.

a. Bernoin *T.* b. Teodulfus *T.* c. Fredugisus *T.* d. Adalung *T.* e. Engelbertus *T.* f. Walacho *T.* g. Meinherus *T.* h. Oculfus *T.* i. Unruochus *T.* k. Meinhardus *T.* l. Riuhuinus *T.* m. Hildigerus *T.* n. Rocculfus *T.* *Hic desinit P.* o. nomina *T.*

1. Vesontionensis. 2. Lugdunensis 798—814. 3. II Arelatensis. 4. Aurelianensis. 5. Ambianensis. 6. Basileensis. 7. Leodiensis. 8. S. Martini Turonensis et Sithiensis. 9. Laureshamensis. 10. s. Angilbertus abb. S. Richarii Centulensis (dioec. Ambianensis). 11. S. Germani Parisiensis. 12. Qui in aliis codicibus Walach vel Walah scribitur, sine dubio celeberrimus ille Caroli M. consobrinus, qui postea abbas Corbeiensis factus est. *W.*

Berolini, typis C. Stahlii et Assmanni.